Quot sunt termini simplices.

Decem

Esse Genus Species individuum ordo

causa

Causatum subiectum adiunctum habi-

tudo

Diversa oppositum aequiparata simul

cognata

Cognata et vocis bonae definitio toti

Partes alterius divisio Finitio

WBP
1902

1 Praedicatum subiecto omnem superioritatem ac
2 Praed. Subi. omni modo [illegible] negari subiecto
3 Praed. Subi. omni modo essentiam alterius naturae esse subiectae
4 Negata simul, non [illegible] simul cum subiecto praed. sed diversa
5 Negata simul non debent praedicari de eo.
6 Negata simul praed. alicui subiecto adjuncto aequat negant.
7 Omnia mala [illegible] praedicto negato [illegible]
negatum [illegible]

Exc.

Sancti domum tuam [illegible]

WBP
1902

Eccardus [illegible]

[illegible] Logica Lambi
[illegible] Sanctissimus [illegible]

VI 396
32 61

[illegible]

DUCALIS

GYMNAS. BREG.

COMPENDIUM LOGICUM,

Pro captu Tyronum

EX

ORGANO

eiusdem Gymnasii

pleniore.

Per Quæstiones & Responsiones.

BREGÆ SILESIOR.

Typis Casp. Sigfridi. Sumptu Andreæ Bachofii Bibliopolæ.

A. C. CIↃ IↃ CXVII.

ANTHOLOGIA

εἰς ΟΡΓΑΝΟΝ Ἀριστοτέλους.

Ἡ δ' ἡ βίβλος Ἀριστοτέλους λογικῆς παιδείης,
Ὄργανον ἣν κάλεσαν σοφίης ἐδήμοιες ἄνδρες.
ἀλλά μιν ἀιθομένῳ πυρὶ λαμπετόωντι ἔοικα·
φῶς γὰρ ἀληθείας παρέχει, ψεῦδος πιμπρᾶσι δέ.

Nos ita Latinè:

AUCTOR Aristoteles Logicum hoc Systéma (dedit quod
Organon appellant Sophiæ gravioris Alumni.
Dicãego sed simile esse refulgenti ardido & igni.
Lumina nam Veris prælucet, falsa perurit.

WiMBP
Opole
884
Wojew. Miej. Biblot. Publ. CZYTELNIA w Opolu

Stemmate & Indole Generosis

EQUITIBUS MORAVIS

RODVLPHO-HANNIBALI
PETRZWALDSKIO a Petrzwald.
CAROLO-VOCKONI PETRZ-
WALDSKIO a Petrzwald.
JOANNI-THEODORICHO
SKRBENSKIO de Hrzisstie.
HENRICHO-CHRISTIANO
PETRZWALDSKIO a Petrzwald &c.
discipulis longè exoptatissimis

SALUTEM.

ACTVM in hoc Præloquio *non agam, prædicandis operosè* LOGICÆ *studiis. Quis enim nescit, vel nostrâ ætate in istius disciplinæ laudibus nobilissimorum ingeniorum linguas calamosque fuisse delassatos? Neque Soli, quod aiunt, lucem ridiculè fenerari animus est; cùm nemo sit, qui divinissimam hanc* Rationis Arbitram, *non magnificiat: nisi qui forte se hominem*

minem natum ignorat. Illud magis πρὸς ἔπος, magisque necessarium: ut novi istius instituti mei caussas ac rationes in publico coram omnibus edisserem. Nam quæ est fati mei infelicitas, non afuturam nobis prævideo Calumniam, quæ me ὑπερόπλων τῶν ἰωθότων, quæ Novatorem, quæ vanæ gloriolæ Aucupem, & quem non? proclamabit.

Ego vero his telis omnibus solũ Bonæ Conscientiæ scutum intrepidè obverto. Illa mihi coram bonis omnibus hoc testimonium dicit, sẽperque dictura est: me nihil in hac peculiaris Dialecticæ adornatione spectare aliud, quã juventutis sub vexillo meo militantis commoda atq; salutem; quæ quidẽ meo animo fidis Scholarum Doctoribus suprema Lex esse debet.

Primo in aditu mearum heic operarum nihil sedebat deliberatius: quàm in Logicâ docendâ textui Philippico strictè insistere; facileque ut ita sentirem, cùm Antecessorum meorum exempla, tum auctoritas libelli ipsius me commovebat. Sed in primâ statim totius artis percursione, quam periclitandorum profectuum gratiâ per pauculas septimanas saltuatim tantum apud discentes urgebam, animadvertere cæpi: plærisque alios ex recentioribus auctores magis esse familiares, unum huic, alteri alium, omnes tamẽ inter se longè diversissimos, et perturbandis magis ingeniis, quàm constanti doctrinâ ad usum artis manuducendis, ab uno præsertim magistro in unâ eâdemque Scholâ, accommodatos. Perstabam nihilo minus in consilio semel concepto; et Melanchthoniana auditoribus meis ita explicare incipiebam: ut singula quasi Erotemata cum recentiorum αὐτοσχεδίοις conferendo, usui et genio præsentis sæculi totam institutionem Logicam pro virili industriâ attemperarem. Sed vix ultra Prolegomena progressus sensi, institutum illud moliminis fore lõgè perplexioris: quàm ut justo tempore ad extremos perduci umbilicos posset.

Quid igitur facerem? Cùm in tantâ copiâ Logicorum nostræ ætatis Scriptorum nullus tamen (quod mirari ipse sæpius soleo) rationibus nostri Gymnasii per omnia satis quadraret; ita ut discipulis illum nostris quasi propriũ vendicare possemus: capto velut in arenâ consilio, peculiare præceptionum Logicarũ Syntagma, quatuor libris ad imitationem Dn. Philippi singulari studio digestũ, meditari aggressus

sius sum; idque summo conatu operam dedi: ut Peripateticâ *doctrinæ integritate*, Philippicâ *perspicuitate*, Rameâ *methodi rotunditate ubique custoditâ meis alumnis Logicē suppeditarē eiusmodi, in quâ securi his annis possent acquiescere; quæq; ad omnē rationalis* περαγματείας *usū porro ipsis sufficeret. Ante* semestre *vero, cùm pensum mihi sponte impositum, pæne confeciſſem; cursusque Logicæ institutionis* tertium *heic redordiendus esset: placuit ex* Maiore illo nostro ORGANO, *Scholæ hactenus tradito rotundum* Artis Compendium *effigiare: quod deinceps quotannis enucleando absolvi, immò verbotim ab omnib. edisci, & ad omnivariam exemplorum quorumcunque* Analysin Genesinque *Cynosuræ instar omnibus esse posset.*

Heic ut mihi dictandi, discentibus describendi tædia demerentur, præsertim in tantâ semper ξεαδυγεαφούντων *immo &* ψευδογεαφούντων *multitudine; utque hac ratione plus nobis temporis lucrifieret, ad præcepta familiarius per exempla quotidie quampluvima illustrandum: ex utilitate communi futurum speravi, si non tantum* Compendium *sed etiam ipsum* Organum Logicum, *in quo plenior integræ artis Methodus descripta est; præceptaque singula fusius declarantur, rationibus firmantur, exemplis longè utilissimis ex omni genere doctrinarum consignantur, publicorū typorū adminiculo per manus oculosque hominum vulgaretur. Solent enim libelli typis excusi discentibus in omnem partem esse gratiores, quàm qui tædiosas manuum operas, quas non omnes æquè promptè, eleganter & emendatè expedire habent, ad descriptionem postulant. Et quamquam mihi non displicet* Socraticum *illud, ut in artibus tradendis* eadem *semper dicantur* de iisdem: *ipsa tamen me experientia & hoc docuit, multum sc. referre ad animos juniorum in debitâ studiorum alacritate retinendum, immo ad maiora semper excitandum: si usitata & communia omnium Scholarum præcepta interdum pro re natâ innoventur; & huic vel illi Scholæ quasi propria fiant, ad præsentia tempora, præsentemque usum, qui universæ institutioni moderari debet, propius conformata. Quid? quod hæc ipsa publicatio de bonâ parte studiorum* Illustris Gymnasii, *deque fide & assiduitate*

meâ testari etiam poterit ad alios passim, sive Patronos, & fautores nostros, sive malevolos, sive etiam neutros. Ad illos nempe: ut nostris conatibus velle cupereque perseverent: ad medios: ut suæ ipsos mendaciloquentiæ: quâ obtrectare studio habent melioribus, tandem, si forte, pudeat pigeatque: denique ad istos: ne de nostris heic operis futili Calūniæ potius, quàm nobis ipsis, etiam publicè rationē nostri negotii otiique mundo toti sic reddere satagentibus, fides in posterum adhibeatur.

ORGANUM igitur Logicum maius, editioni jam planè destinatum, quamprimum se nobis Patronus dederit, habituri sunt discentes. Hac vice Compendium eius juventuti nostræ damus, et quidem per manus vestras id damus, o Generosa Quadriga Adolescētum eximiorum. Ita volui scilicet: & ita magnis de caussis debui.

Nam cùm ante semestre e Moravis vestris nostras ad classes navim studiorum appelleretis: statim judicabam mearum fore partium: ut vobis hunc adventum et istum erga bonas litteras animum publicâ aliquâ προσφωνήσει gratularer. Nunc vero multo hoc magis mihi faciendū censeo, postquam tot jam spectaminibus toti non tantum Gymnasio Illustri, sed etiā urbi Ducali, adeoque Illustrissimæ Aulæ testatum feciſtis, quàm luculenter non ab ingenio tantū, sed & a pietate, sedulitate, modestiâ atque obsequio viaticati huc accesseritis. Omnes scilicet vos quatuor generosior illa nobilissimi Sāguinis indoles facile, ut opinor, impulit: ut tam egregiū comitatum virtutum pulcerrimarum vobis e dulcissimâ patriâ nostras Musas adituris adsciſceretis. Sed te RODULPHE HANNIRAL, te CAROLE-VOCKO, te HENRICHE-CHRISTIANE, vos tres inquam Incliti et Generosi Domini HANNUSSII PETRZWALDSKII Parentis vestri gravissima auctoritas et quotidiana Incentiva singulariter insuper in tam laudabili proposito confirmarunt. Is enim a maiorum nobilissimorum prosapiâ descendens cùm unico magis unicus suæ familiæ, olim per Moraviam numerosissimæ florentissimæque superstes esset, quemadmodum propriâ virtute hactenus id fastigii adsequutus est: ut non tantum primis Moraviæ Dynastis accenseatur, sed etiam Sacræ Cæs. Regiæque per Hung. & Bohem. Majestati Consiliarius audiat: ita

D. HANVSSIVS Petrzwaldsky a Petrzwald in Rac yz Arcem Güldenstein/ & gros Petrzwald/ S. Cæs Mai. Cōsiliar.

ita proculdubio a primâ veſtrâ pueritiâ unicè id curavit: ut vos tantæ familiæ avitos titulos & ad pauca capita redactam gloriam ab interitu vindicaturos, poſt ſeſe mundo relinqueret omni heroicâ virtute quàm excultiſſimos. Nec dubium eſt, qvin pia iſthæc & patrio corde dignissima conſilia eventum, quem debēt, ſint habitura; ſicut jam tum conſimilis ſuæ educationis fructum percipit uberrimū idem Dn. Parens *veſter in Generoſis Veſtris* Fratribus *natu grandioribus, in Dn. JOANNE videlicet THEODORICHO, jam ni fallor, Sponſo & Dn. BERNHARDO-DIONYSIO, quorum uterque a peregrinatione Academicâ Politicâque feliciter redux nunc quidem ſuis* domi *Parentibus, mox* toti Patriæ *oſtenſuri ſunt, quid valeat in Generoſorum Parentum ſubole,*

Doctrina ſi vim provehat inſitam,
Rectique cultûs pectora roborent.

Tuum vero pectus, IOANNES-THEODORICHE SKRBENSKY, ad meliores diſciplinas ſingulari quodam & genti tuæ quaſi proprio thyrſo dies impellit noctesque, ſive Magnifici & Generoſi Tui Parentis Dn. *JAROSLAI,* Ducalis Aulæ Teſchinēſis quondā Mareſchalſchalli *rara Virtus & obſequioſa recordatio: ſive exemplū* Patruelis Tui, *Viri ſupra omnē laudem poſiti*, Dn. *JOANNIS SKRBENSKII* de Hrziſſtic, Hereditarii Fülnecæ, Inferioris Iudicii in tractu Olmucenſi Præſidis digniſſimi. *Crediderim vel ipſa noſtri Gymnaſii ſubſellia, olim a magno iſto Tuo* Patruele *cum laude quoque preſſa, novos Tibi quotidie ad ſimilem diligentiam igniculos ſubjicere. Nam quas ille deinceps rariſſimæ gloriæ inſulas ſive* Baſilcæ *in ſancto contubernio magnorum Dei Servorum* I. Iacobi Grynæi *&* Am. Polani, *ſive* in Galliis *& alibi paſſim ſibi comparavit: easdem dubio procul & ipſe pari ardore ſequentib. annis adfectabis, &, qui eſt calor naturæ tuæ ad omnia ſummate rapiens, perfacile obtinebis. Sic, ſic exſpectationi* Magnifici & Perſtrenui *Dn. WENCESLAI SLAWIBORII SKRBENSKY* in Großkunzic, & Ratimov. Fratris & Tutoris *tui meritiſſimi abunde ſatisfacies; nihilque erit olim, quod Generoſo* Fratri *tuo Dn. BERNHARDO SKRBENSKIO* in Drzinoviâ, *religione, doctrinâ, virtute & expe-*

experientiâ concedas; præsertim cùm hæc tibi tuisque æqualibus Petrzvvaldskiis *jam felicitas obtigerit: ut* privatum *studiorum morumque vestrorum* Ephorum *ac* Directorem *nacti sitis eum ipsum, qui Dn.* BERNHARDI Fratris tui *ingenium præclarè olim perpolivit, & in diversis* Germaniæ Academiis *ad eam, quam merito ipsi gratulamur, maturitatem feliciter perduxit,* WENCESLAUM *dico* PERSIUM, Virum doctiss. spectatissimumque, *amicum meum singularem, fingendis magnorum adolescentum naturis quasi divinitus designatum.*

Macti estote hoc Stemmatis *fulgore, hacque* ingeniorum *prærogativâ, stemmate dignissimâ! Macti estote* hac contentione *& his* agonibus Palladiis! *quos si cæptum in modum in hoc nostro* Stadiodromo *continuatitis: næ* Pancratiastas *de vobis Reipublicæ polliceor, omnibus* Græciæ Olympionicis *celebratiores. De me: numquam ego* (quoad sciam poteroque) *cum* Collegis *in hac arenâ vos destituam, sive* monitione *opus habeatis, sive* manuductione, *sive* applausu, *seu denique* (*quod o necesse numquam sit!*) correctione. *Et*

Et nunc in tantæ fidem sponsionis accipite amabo chartaceam hanc arrhabonem *munus, mole* parvulum: *affectu quo se vobis insinuare gestit,* magnum: *usu, quem in universâ rationis occupatione habet,* maximum. *Felices vos, si paullo post e* Curiâ Grammaticâ *progressi libello huic gnavam dederitis operam, et hac quasi coticulâ mentes examussim acueritis! Felicem Scholam nostram totam, si artem, his pagellis compendio descriptam, in precio habuerit! Et faciet, ita bene, ominor, vel vestro incitata exemplo. Nam & boni omnes impensè vos amant: & cetera vestra exempla haut gravatè æmulantur. Valete, & in laudes* DEI OPT. MAX. *hominumque gratiam adolescite.* BREGÆ *ex* Gymn. Ducali *Anno Christianæ redempt. 1617. XIV KL. Maias.*

M. MELCH. LAVBANVS
Ducal. Gymn. RECTOR.

AD

Ad Logicen
MENTIS DIRECTORIAM.

QUEM tu, NORMA Animi, prius
Truncum judicii parte quotâ auxeris:
Non illum *error* ad avia
Veri expers rapiet: non hebetem tenor
Solers *congrua jungere*
Frustrabit: neque vox barbara grandibus
Oppletum nebulis caput,
Quòd *res ambiguis occulerit notis*,
Prodet ludibrio omnium.
Sed qui impube *Canon* Sinciput erudit,
Usus pensaque *duplicis*
Doctrinis facient valdè habilem omnibus.
Numquam exhausta Promethei
Dignatur bonitas, istius aurea
NORMÆ licia me sequi;
Et jam doctor idem monstro aliis iter.
O vertiginis hispidum
Nativæ, teres *Ars* quæ removes chaos!
O menti quoque barbaræ
Donatura Pelasgum & Latium sophos!
Totum exercitii hoc tui est,
Quòd scribensve aliquid, vel studio legens
Cancellis Methodi immoror;
Quòd disco, & doceo quæ didici, tuum est.

CON-

Conspectus totius artis.

Partes LOGICAE duæ:

- **Apprehensio Simplicium, ubi de Termino**
  - Significante. VOCE.
  - Significato, quo pertinet
    - PRAEDICAMENTVM.
    - Terminus, merè Mentalis, seu logicus
      - Primitivus
        - Primò { Consentaneus. / Dissentaneus. }
        - Secundò { Absolutus. / Comparatus. }
      - Derivativus
        - Primò, Termini Nominales: Totum, Partes.
        - Secundò. Distrib. Defin. LIB. I.
- **Compositio, ubi de**
  - **Propositione**
    - Categoricâ
      - Formali.
      - Materiali
        - Verâ, Falsâ: Necessariâ, Cõtingẽte
        - Regulari, Irregulari.
    - Hypotheticâ. LIBRO II.
  - **Discursu**
    - Illativo, Syllogismo, qui est ratione
      - Formæ
        - Perfectus, Categoricus, cuius tres Figuræ.
        - Imperfectus
          - Directus
            - Compositus.
          - Crypticus sub quo
            - Enthymema, Induct. Exẽplũ. Sorites, Dilem.
        - Obliquus. LIB. III.
      - Materiæ
        1. Artificialis.
           - Inartificialis. Testimonium
           - Vterque
             - Necessarius.
             - Probabilis.
        2. Verus.
           - Apparens, ubi de Solutione Fallaciarum
    - Ordinativo, Methodo. LIBR. IV.

- Significans, VOCE. CAP. III.
- Significatum, quo pertinet
  - APPREHENSIO SIMPLICIVM est doctrina de Terminis
    - PRAEDICAMENTVM ubi de
      - Antepraedicamentis, id est
        - Praedicabilibus, seu gradibus rerum Praedicamentalium, Genere, Specie, Differentiâ. C. IV.V.
        - Regulis Antepraedicamẽt. C.VI.
      - Classibus Decem Praedicamentorum. C.VII.IIX. IX. X. XI. XII.
    - Terminus merè Mentalis, sive Logicus
      - Primitivus
        - 1.
          - Consentaneus
            - 1. Caussa
              - Efficiens. C.XIII.XIV.
              - Materia, Forma, Fin. C.XV
            - Caussatum. C. XVI.
            - 2. Subjectũ. C.XVII. Adjun. C.XIIX
          - Dissẽtaneus, ubi
            - Diversa. C. XIX.
            - Oppositapugnæ
              - Infinitæ, Cõtradic. C.XX
              - Finitæ, Privãt. Cõtrar. Disparata, Relativa. C.XXI.
        - 2. Absolutus, Comparatus — C.XXII. XXIII. XXIV.
      - Derivativus quoad
        - Arguendi similitudinem — Cõjugat. Definit. nom. C.XXV Totum, Partes. C. XXVI.
        - Cõpositionem in super
          - Distributio — Divisio Gener. in Species. Partitio. C.XXVII.
          - Definitio & Descriptio. C. XXIIX.

COM-

COMPENDII LOGICI
LIBER PRIMUS:

De Apprehensione Simplicium.

CAPUT PRIMUM.

De LOGICÆ definitione, ubi de Appellationib. Genere, Objecto & fine eius.

Quid est LOGICA?

LOGICA est directoria mentis in docendo & discendo. *Vulgo Dialectica.*

Unde est nomen Logicæ?

A Græco Substantivo λόγος ratio, intellectus. *Ergo nomen Logicæ ducitur ab eius objecto, quod scilicet Logicæ præceptis informatur.*

Unde vero nomen Dialecticæ?

Dialectica sive Ratiocinatio ars colloquendi. Dialectica finis.

A Græco verbo διαλέγεσθαι, quod Platoni passim est λόγῳ χρῆσθαι *ratione uti*, *ratiocinari*, qui proprius est finis huius artis. *Germanicè* vernunfftskunſt / verſtandskunſt.

Quodnam est Genus in definitione Logicæ?

Genus Logicæ est, Directoria, sive Ars directoria. *Est* ars, *quia est systema præceptorum exercitatione confirmatorum, & ad finem utilem facientium in communi vitâ. Deinde est* ars directoria, *quia dirigit mentẽ, ne aberret in rebus sive apprehendendis, sive coordinandis, sive etiam distinctè perscrutandis & per idoneas satisque claras notas et vocabula enunciandis.*

Quid ponitur loco Differentiæ in hac Definitione?

Differentia sumitur ab objecto & Fine Logicæ.

Quod-

Quodnam est objectum Logicæ?

Objectum est Mens sive Ratio, quæ præceptis Logicis est dirigenda sive informanda. Vnde & *Objectum Informationis* dicitur. *Objectum Tractationis sive doctrinale est Modus ipse bene docendi discendique, utpote cuius media atque organa in hac arte explicantur. Objectum denique Operationis sunt omnes res ac materiæ, de quibus docendi sunt homines, quæque disci humanâ sollertiâ possunt.*

Quis est Finis Logicæ?

Finis artis est, Bene docere ac discere, *sive modum tenere bene docendi, beneque discendi.*

CAPUT SECUNDUM.

Quot sunt partes Logicæ?

Duæ, Apprehensio simplicium, et Compositio. *i. Doctrina de apprehensione simplicium, & de Compositione. Met. finis, in artibus operatricib usitatissima. Vide initium lib. 2. Dial. Dn. Phil.*

CAPUT TERTIUM.

De Termino Significante, sive de VOCE.

Quid est Apprehensio simplicium?

Est prima pars Logicæ, de modo Terminorum quemque simplicem rectè dignoscendi & apprehendendi.

Quid est Terminus Simplex?

Est notio Logica, rem in naturâ simplicem & unam menti repræsentans, ad eam tanto felicius cognoscendam & explicandam. *Philippo, Quæstio Simplex, Vocabulum Simplex: Ramo Argumentum.*

Quotuplex est Terminus Simplex?

Duplex, Significans, & Significatus.

Quid est Terminus Significans?

Est vox articulata, quatenus certam rem aut animi conceptum, ex σωθήκη sive divinâ, sive humanâ designat. *Alias Vox, Vocabulum, Nomen, Appellatio. Vox Logicæ subjicitur,*

tur, non quoad materiale, quæ sunt litteræ, syllabæ, & ipse sonus articulatus: sed quoad formale, quæ est ipsa significatio, sive relatio vocis ad conceptûs mentis, quos signando notificat.

Recita præcipuas divisiones Vocis?

Prima hæc est:

Vox aut est primæ, aut secundæ notionis.

Vox primæ notionis est, quæ significat illam imaginem mentis, quæ immediatè a re extra mentem positâ efformatur, inque eâ immediatè fundatur. *ut Vox, Cervus, significat Latinis illam Ideam mentis, quam mens immediatè a silvestri illo animali imaginatione abstraxit, quæque in illo animali, tanquam signum in suo signato fundatur.*

Vox secundæ notionis est, quæ significat conceptum mentis, non immediatè abstractum a re extra intellectum positâ, sed a modo rem eam intelligendi. *Exempli gratiâ, Idea Cervi in mente formata, quatenus est omnibus singularib. Cervis, ubicumque obviis, applicabilis, parit novam notionem sive imaginem mentis, fundatam, non in ipsâ naturâ Cervi, sed in modo intelligendi naturam Cervi, qui modus non tantum omnibus Cervorum, sed etiam aliarum rerum individuis communis*

nis est. Notio igitur in communi illo intelligendi modo fundata, dicitur Species, ac proinde Species est Vox secundæ notionis.

Secunda divisio.

Vox aut Abstracta est, aut Concreta.

Vox Abstracta est, quæ nudam speciem, seu formam per se consideratam significat, non simul comprehenso eo, in quo forma illa subsistit, *ut Albedo, Philosophia, Virtus, Divinitas, Humanitas.*

Vox Concreta est, quæ formam unà cum eo, in quo illa subsistit, conjunctim significat, *ut Albus sc. paries, Philosophus, Deus, Homo.*

Tertia divisio.

Vox omnis aut est certæ, aut dubiæ significationis.

Vox certæ significationis est, quæ certum, & ab aliis omnibus distinctum conceptum, satis perspicuè & evidenter designat. *Talibus vocib. Logicus studere debet.*

Vox dubiæ significationis est, quæ confusè

fusè tantum & indistinctè designat illum animi conceptum, quem debet. Talis est Vox AEquivoca, & obscura.

Quid est Vox Æquivoca?

Est, quæ plures conceptus diversarum rerum significare potest. *Aliàs Homonyma, Ambigua. Talis est vox Malum, Jus, Cancer, Lupus, & omnes voces tropicæ.*

Quid est Vox Obscura?

Est, quæ conceptum quidem unum, sed obscurè designat.

REGULA.

Vox Æquivoca dextrè distingui, Obscura declarari debet, antequam in Logicâ praxi quid suscipiatur.

CAPUT QUARTUM.

De Genere & Specie, uti & Individuo.

Tantum de Termino Significante, sequitur de Termino Significato.

Quid est Terminus Significatus?

Est notio quævis Logica, voce certâ significabilis. Estque aut Realior, unà voce *Prædicamentum*, aut *Mentalis*.

Quid est Prædicamentum?

Est ordinata series omnium rerum universalium, per certas classes sic digestarum, ut semper a re summâ & generalissimâ, per gradus intermedios ad rē omniū infimam & specialissimam descendatur.

Prædicamentum duo complectitur: 1 *Res ipsas tamquam materiale,* 2 *Logicam seriem rerum, tamquam formale: hoc per se & propriè Logicum est, illud tantùm per accidens.*

Quis est usus doctrinæ Prædicamentalis?

Primarius est, ut inserviat definitionib. ac divisionib. rerum, atque adeo subjectum operationis Logicæ rudi penicillo adumbret. *Secundarius usus est*, ut Propositionibus constituendis inserviat, ostendendo, quinam termini locum Subjecti, qui

qui Prædicati tenere possint. *Vnde & Prædicamenti, item Categoriæ appellationes huic doctrinæ attributæ fuerunt.*

Quot sunt partes doctrinæ Prædicamentalis?

Duæ, Anteprædicamenta, & Ipsæ classes Prædicamentorum.

Quid vocas Ante prædicamenta?

Prædicabilia & Regulas Anteprædicamentales.

Quid sunt *Prædicabilia*?

Sunt gradus rerum prædicamentalium, secundum quos aliæ aliis superiores, aut inferiores esse intelliguntur. Suntque vel *Recti*, ut *Genus* & *Species*: vel *Collateralis*, ut *Differentia*.

Quid est *Genus*?

Genus est nomen commune multis speciebus, i. *est notio rei universalioris, sub quâ in classe prædicamentali notio rei minus universalis collocatur.* Vt in Substan-

tiæ Prædicamento, *Substantia res est universalior corpore: corpus, corpore vivo: corpus vivum, animali: animal, homine. Ergo Substantia est Genus corporis Corpus, genus corp. vivi: Corpus vivum, genus animalis: Animal, genus hominis.*

Quotuplex est Genus?

Duplex, *Summum* & *Subalternum. Illud* semper est Genus, numquam Species, unde & *Genus generalissimum* dicitur. *Hoc*, ita Genus est inferiorum, ut simul sit Species superioris. *Sic Animal est Genus respectu hominis & bruti: at respectu Corporis vivi, Corporis, Substantiæ, est Species.*

Quid est Species?

Species est notio rei universalis, suo generi utpote universaliori subjectæ, ut *Animal est Species respectu Corporis vivi. Est enim res universalis sub corpore vivo tanquam sub suo genere universaliore contenta.*

Quotuplex est *Species?*

Duplex, *Subalterna* & *Specialissima*, sive *Infima.*

Subal-

Subalterna, sic est Species superioris, ut simul sit genus inferiorum. *Sic Animal est Species corporis vivi, & simul etiam genus Hominis & bestiæ.*

Species specialissima, seu *Infima* est nomen commune proximum Individuis, *i. est notio rei universalis proximæ Individuis. Ut Homo, Canis, Equus, Taurus, sunt Species infimæ in Prædicam. Substantiæ, sub quibus proxima sunt Individua, Plato, Argus canis Vlyxis, Arion equus Adrasti.*

Quid est *Individuum?*

Est notio rei singularis, sub specie infimâ certam & determinatam existentiam habentis. *Dicitur Individuum, Græcis* ἄτομον, *non quasi simpliciter sit indivisibile: sed quia divisionem Logicam ulteriorem non admittit. Exempla Individuorum sunt 1 Petrus, Paullus Apostolus, Christus, Fides Abrahami, Castitas Iosephi. 2 Nomina* κατ' ἐξοχὴν *intellecta, ut Philosophus pro Aristotele, Propheta pro Esaiâ &c. 3 Periphrases rerum aut personarum singularium. 4. Res aut personæ particulis demonstrativis designatæ.* RE-

REGULA.

Individuũ interdum nomen Speciei, & Species infima sive specialissima nomen Generis sortitur, ἀπίχνως *sc. & populariter loquendo.*

CAPUT QUINTUM.

De Differentiâ, Proprio & Accidente.

Fuerunt Gradûs Prædicamentales Recti, restat Collateralis, Differentia.

Quid est *Differentia?*

Est, per quam Genus ad certam Speciem restringitur ac determinatur, *ut per Rationalitatem restringitur Animal, tanquam genus, ad certam Speciem, Hominem sc.*

REGULÆ.

I. Differentia est partim divisiva, *respectu sc. Generis*: partim constitutiva, *respectu sc. speciei.*

II. Differentia omnis semper habet sibi

bi e regione oppositam aliam differentiam. *Hinc omne Genus ob Differentias oppositas, quas potentiâ in se continet, divisibile est in duas minimùm Species.*

Quotuplex est Differentia?

Duplex, *Essentialis* & *Accidentalis.*

Essentialis ita genus determinat, ut intimam essentiam Speciei constituat, unde absolutè *Differentia*, item *Differentia Specifica* dicitur. *Sic Rationalitas ita determinat Genus, (Animal:) ut Hominis (Speciei animalis) intimam essentiam constituat.*

Accidentalis contra, determinat genus per accidens aliquod Speciei. *Tales Differentiæ sunt omnium frequentissimæ, cùm intimas rerum essentias maximâ ex parte in hac caligine ignoremus, easque ferè tantum per accidentia utcumque adumbrare cogamur.*

Quotuplex est *Differentia Accidentalis?*

Duplex, Differentia a Proprio & Differentia ab Accidente Communi.

Quid est *Differentia a Proprio?*

Est,

Est, quâ genus determinatur per accidens proprium & inseparabile speciei. *Talia propria Hominis sunt, incedere erecto corpore, numerare, loqui, videre, flere. Ergo per hæc, tanquâ per Differentiam, genus (Animal) determinabile est ad Hominẽ (Speciẽ Animalis)*

Exempla Propriorũ quadruplicium habes in hoc versu: Dux belli, atque bipes, cũ canescẽte queque, risus.

Vulgo dicuntur Propria, quæ insunt 1 soli Speciei, sed non omnibus individuis. 2 Omnib. individuis, sed non soli speciei. 3 Omnibus individuis, soliquæ speciei, sed non semper 4 Sed Differentia a Proprio requirit Proprium quarti modi, nempe quod omnibus individuis, soliquæ speciei, & quidem semper atque inseparabiliter inest.

REGULA.

Propria intelligenda sunt non tam de actu, quàm potentiâ, *ut Ridere est proprium hominis inseparabile, nempe non actum, sed potentiam intelligendo.*

Quid est *Differentia a Communi?*

Est, quâ genus utcumque determinatur per accidens tantum commune aut separabile. Commune accidens non inest soli

soli Speciei, *ut esse bipedem est accidens commune Hominis, quod præter hominem etiam ineſt Avi.* Separabile accidens ineſt, vel non ineſt individuis citra eorum interitum, *ut dormire, ſedere, ſtare, ambulare ſunt accidentia ſeparabilia hominis. Talia accidentia uſitatè dicimus Accidentia, abſolutè.*

REGVLA.

Differentia a Communi non tam Genus determinat, conſtituendo certam Speciem: quàm Speciem per aliud quid conſtitutam utcumque diſtinguit. *Non conſtituit ἄλλο, ſed tantum ἀλλοῖον, ac proinde eſt organum non Diviſionis, ſed tantum Diſtinctionis rerum.*

CAPUT SEXTUM.

De Regulis Anteprædicamentalibus.

Hucusque Prædicabilia: ſequuntur Regulæ Anteprædicamentales.

Quid

Quid vocas Regulas Anteprædicamentales?

Sic vocantur commonefactiones, ostendentes, quæ res, quomodo sint in Prædicamento, & quæ res non sint in Prædicamento. Sunt autem *Regulæ* numero *sex*.

PRIMA.

Res ipsæ, prout sunt in naturâ, per se & fundamentaliter sunt in Prædicamento: conceptûs vero rerum & vocabula tantum repræsentativè, *nempe quatenus significatione suâ ad res referuntur.*

SECVNDA.

Res ipsæ sunt in Prædicamento, aut directè & primariò: aut indirectè & secundariò.

TERTIA.

Directè & primariò sunt in Præd. quævis res seu Entia, his *quinque conditionibus* instructa, ut sint 1 Realia, vera, & positiva. 2. Simplicia & per se una. 3. Universalia, *non tamen universalissima.* 4. Completa seu integra. 5. Voce certæ significationis expressa.

QVARTA.

Indirectè & secundariò sunt in Prædicamento 1. Deus. 2. Differentiæ. 3. Res concretæ, aggregativæ, collectivæ. 4 Partes totius. 5. Ea, quæ per accidens dicuntur esse in Prædicamento.

QVINTA.

Per accidens in Prædicamento locantur (*sc. ob quandam similitudinem cum iis, quæ directè sunt in Prædicamento*) 1 Complexa. 2 Entia intentionalia extra mentem. 3. Notiones secundæ in mente. 4. Relationes rationis. 5. Privationes. 6 Ficta possibilia.

SEXTA.

Planè excluduntur ab omnibus Prædicamentis 1. Ambigua, ante factam distinctionem. 2. Transcendentia, ut Ens, & eius adfectiones. 3. Ficta impossibilia, quæ ne Deus quidem ipse, salvâ suâ natu-

turâ & veritate possit efficere, *ut*, *Deus mendax*, *Deus auctor peccati*, *Deus finitus*, *Deus impotens*, *Adam non lapsus*, *Electio universalis*, *Salvatio peccatoris irrespiscentis*, *Damnatio peccatoris respiscentis*, &c.

CAPUT SEPTIMUM.

De Prædicamento SUBSTANTIÆ.


Anteprædicamenta vidimus, sequuntur ipsæ Classes Prædicamentales.

Quot numerantur vulgò *Prædicamenta?*

Decem, *juxta hoc distichon Mnemonicum:*

Res substans. Quant. Qual. Relat. Actio. Passio. Quando. Mox Vbi, postque Situs, denique adest Habitus.

Typus Dichotomiæ.



Quid est *Prædicam. Substantiæ?*

Est ordinata series omnium Substantiarum, per genera & species.

Quid est *Substantia?*

Substantia est ens, quod habet proprium esse, nec est in alio, tanquam accidens.

Quotuplex est Substantia?

Duplex, *Æterna* & *Creata*. AEterna, est DEVS a se & per se existens ab æterno

in æternum, absque ullâ mutatione, *estque in Prædicamento Substantiæ tantum analogicè & indirectè.*

Quid est *Substantia Creata?*

Substantia creata est ens, habens proprium esse & sustinens accidentia. Estque *Prima*, aut *Secunda*.

Quid est *Substantia Prima?*

Prima Substantia est, Substantia singularis, seu individua *ut hic Equus, hic homo.*

Quid est *Substantia Secunda?*


Est Substantia universalis, primas complexu suo (*quippe genus aut species earum*) continens, & in primis subsistens, non ut accidens in subjecto, sed ut pars essentiæ illarum. *Animal, Homo, Equus, Canis sunt Substantiæ Secundæ, quia sub se continent omnia individua Animalium, ut Homines, Equos, & Canes singulares, inque iis subsistunt, ut partes formales.*

REGVLA.

Destructis Primis Substantiis nihil reliquum est, *i. nec Secundæ Substantiæ, nec accidentia. Utraque enim in Primis subsistunt.*

ARBOR

ARBOR SVBSTANTIARVM.



CAPUT OCTAVUM.

De Prædicamento Quantitatis.

Vidimus Præd. Substantiæ, sequuntur Prædicamenta Accidentium.

Quid est *Accidens?*

Accidens est ens, habens a Substantiâ dependentiam & essendi & existendi.

Græce συμβεβηκός. Sermo

Quotuplex est Præd. Accidentium?

Duplex, *Primarium & Secundarium*: illudque porro *Absolutum*, Quantitas, & Qualitas, aut *Relativum*, Relatio.

Absolutum accidens, sine ullâ collatione ad aliud & per se esse, & per se intelligi ac definiri potest.

Quid est Prædicamentum *Quantitatis?*

Est ordinata series omnium Quantitatum per genera & species.

Quid est *Quantitas?*

Quantitas est accidens absolutum, a quo

quo res aliqua est quanta, vel quota. *Dn. Phil. Quantitas est magnitudo rei vel numerus.*

Quotuplex est *Quantitas?*

Duplex, Continua, unâ voce *Magnitudo*; & Discreta quæ aliàs *Numerus*, item *Multitudo* dicitur.

Quid est *Magnitudo?*

Est quantitas, constans partibus, communi termino continuatis & distinctè dispositis. *Secundum hanc, res propriè dicuntur æquales, aut inæquales aliis.*

Quotuplex est Magnitudo?

Triplex, *Linea, Superficies, Corpus.*

Linea, est magnitudo tantum longa, cuius extrema sunt duo puncta, *ut Vlna, decempeda, pes, cubitus, miliare, stadium.*

Superficies, est magnitudo longa simul lataque, cuius extrema sunt lineæ minimùm tres, *ut Jugerum, Area, Campus, Planicies.*

Aliàs Trina Dimensio.

Corpus est magnitudo longa, lata, & crassa.

Quid est *Quantitas Discreta?*

Quantitas Discreta est, cuius partes nullo communi termino copulantur. Aliàs *Numerus*, id est multitudo ex unitatibus collecta. *Vnitas enim non est numerus, sed numeri principium: sicut punctum non est magnitudo, sed magnitudinis principium.*

Quotuplex est *Numerus?*

Duplex, *Numerans* & *Numeratus.*

Numerus Numerans est ipsa absoluta numerandi ratio in animo numerantis formata, & ab omni materiâ cogitando abstracta. Vulgo *Numerus Arithmeticus*, *Et hic primario pertinet ad Præd. Quant.*

Numerus Numeratus sunt res ipsæ certo numero prædictæ, *ut tres equi, tres lineæ, septem Planetæ.*

Et huc pertinent 1 Omnes res collectivæ, quæ ex plurium aggregatione constant. 2 Omnia numismata. 3. Omnia pondera, omnesque mensuræ, sive liquidorum, sive aridorum, ut Centenarius lapis, libra, uncia drachma talentum: Modius, medimnus, amphora, Congius, Sextarius &c.

ARBOR

ARBOR QVANTITATVM.

QUANTITAS, alia est

- Continua, Magnitudo, quæ est
  - Primario, vel Dimensionis
    - Vnius, Linea
      - Recta.
      - Curva
    - Plurium
      - Duar. Superficies
        - Plana
        - Curva
          - Convexa
          - Concava.
      - Trium; Corpus
  - Secundario, et quasi per accidens
    - Locus
    - Tempus
- Discreta, Numerus
  - Numerans
  - Numeratus, quo etiam pertinet Oratio ex syllabis vocibus que aggregata.

CAPUT NONUM.

De Prædicamento Qualitatis.

Quid est *Prædicamentum Qualitatis?*

Est ordinata series omnium Qualitatũ per genera & species.

Quid est *Qualitas?*

Est accidens absolutum, a quò res aliqua est qualis. *Dn. Phil. Qualitas est forma (accidentalis) per quam Substantia est efficax (sc. vel in opere suo, vel in sensibus nostris.)*

Quot sunt Species Qualitatum?

Quatuor. Habitus, Potentia naturalis, Patibilis Qualitas, & Figura.

Quid est *Habitus?*

Est qualitas in hominem introducta, per curam sufficientem naturæ superadditam, quâ rectè & facile eas actiones exsequitur homo, quas per naturam solam exsequi non posset.

Primus ad Habitum gradus est Dispositio, i. *qualitas in hominem introducta, per curam aliquam sed nondum sufficientem; quâ neque ita rectè, neque ita facile homo actiones a certo Habitu dependentes obire potest.*

Quot sunt divisiones Habituum?

Duæ insigniores.

Recita primam?

Habi-

Habitus est vel *Infusus* vel *Acquisitus*.

Infusus est, qui speciali & gratiosâ curâ Spiritûs sancti mentib. hominum infunditur, sive *ordinariè*, ut Fides, Spes, Caritas, Patientia &c. sive *extraordinariè*, ut Fides miraculorum, Donum linguarum &c.

Acquisitus est, qui nostrâpte curâ certis præceptis & præceptorum exercitationibus comparatur.

Recita alteram?

Habitus alii sunt *animi*, alii *corporis*.

Habitus animi partim sunt *Intellectus*, ad quos pertinent omnes artes, scientiæ & disciplinæ liberales: partim *Voluntatis*, quo pertinent Virtutes & Vicia.

Habitus corporis sunt, qui in certis membris corporis ad aliquam corpoream actionem dextrè perficiendam ordinatis spectatur, *ut Iaculatoria, Saltatoria, Palæstrica, Natatoria, Habitus citharæ pulsandæ, & omnes Habitûs mechanici.*

Quid est *Potentia naturalis?*

Est

Est qualitas naturæ tam animatæ, quã inanimatæ cõgenita, per quã natura idonea est ad facile aliquid agendũ, vel patiendũ, vel resistendum contrario. *Græcè δύναμις φυσικὴ, vis, virtus, facultas, potestas naturalis.* Vt, *Ingenium est potentia naturalis ad discendum. Sensus, potentia nat. ad videndum, audiendum &c. Voluntas, pot. nat. ad approbandum aut reprobandum objectum ab intellectu monstratum. In Magnete est potentia nat. trahendi ferrum. In Parentib. sunt σοργὰι erga subolem. In cerâ, butyro est mollities naturalis facile receptiva divisionis: contra in lapide, adamante, ferro est duricies naturalis, divisioni resistens.*

Quotuplex est Potentia naturalis?

Duplex. *Prima*, quæ proximè emanat e Subjecti formâ: & *Secunda*, quæ est dispositio temperamenti & organorum corporis ad primam illam potentiam in actum deducendam.

REGULÆ.

I. Prima Potentia est simpliciter inseparabilis a Subjecto: sed Secunda sæpe perit Subjecto adhuc salvo.

II. Potentia inclinans ad malum rectius dicitur Impotentia, *ut Sterilitas non est potentia, sed Impotentia.*

Quid est *Patibilis Qualitas?*

Patibilis Qualitas & Passio dici solent Metonymicè quævis objecta sensuum, *ut Lux, Color, Sonus, Odor, Sapor, Calor, frigus: Humiditas, Siccitas: Raritas, densitas: Levitas, Gravitas: Lævitas, asperitas &c.*

Dicuntur hæc Patibiles Qualitates & Passiones, vel per Metonymiam effecti, quia semper passione aliquâ sensum adficiunt: Vel per Met. efficientis, quia multa ex his sunt aut Qualitates patibiles, id est durabiles adfectiones corporis a passione aliquâ sive naturali, seu accidentariâ ortæ, ut Pallor in facie, Nigredo in corvo, Albedo in Cycno: aut Passiones, id est, adfectiones corporis subitaneæ, a subitâ passione seu perturbatione corporis, animive exortæ.

Dn. Philippus etiam huc refert Adfectus animi quæ sunt Passiones proprie dictæ.

Quid est *Figura*, quarta species Qualitatis?

Est externa lineamentorum & coloris in quovis corpore quanto determinatio. *Aristoteli σχῆμα, μορφή. Vt Figura Cæli, Terræ, Stellarum, plantarum, Animaliũ, Hominũ diversorum. Item Figura canthari, Poculi, domus, navis, mensæ, sellæ, statuæ, picturæ &c.*

ARBOR QVALITATVM.

Qualitas alia est

- Activa
- Passiva, A.

HABITVS

- Imperfectus Dispositio
- Perfectus
  - Acquisitus
    - Animi
      - Ethicus Fortitudo, Temperantia, Iustitia
      - Dianoeticus
        - Organicus, Grammatica, Logica, Rhetorica, &c.
        - Realis, ut Intellectus Scientia Sapientia, Prudentia, Ars.
    - Corporis, ut Sanitas ex medicina. Palæstrica Iaculatoria &c.
  - Infusus Ordinarie, Fides, Spes, Caritas Patientia.

Potentia Naturalis, quæ et Impotentia

- Prima
  - Extraordinarie. Inanimatarum
  - Manifesta, rerum
- Secunda Occulta. Animatarum

A. Passi-

A. Passiva Qualitas est

Patibilis qualitas & Passio, ut sunt

- Objecta Sensuum
  - Visûs Lux, Color
  - Auditûs Sonus,
  - Olfactûs, Odor
    - Prima
      - Calor Frigus
      - Humiditas, Siccitas.
      - Raritas Dēsitas
    - Secunda
      - Levitas, Gravitas
      - Mollities. Duricies &c.
  - Gustûs, Sapor
  - Tactûs, Qualitates
- Adfectus animi.

Figura seu forma externa corporum.

CAPUT DECIMUM.

De Prædicamento Relationis.

Accidentia Absoluta hactenus lustravimus: sequitur de Accidente Relativo in Prædicamento Relationis.

Relativum accidens sine collatione &

Quid

respectu ad aliud neque esse; vel intelligi, neque definiri potest.

Quid est Prædicam. Relationis?

Est ordinata series omnium Relationum per genera & species.

Quid est *Relatio*?

Relatio est accidens quo una res ad aliam, tamquam ad suum terminū refertur.

Vt Dominatus vel Dominium est accidens Domini, quo sc. Dominus refertur ad Servum, tamquam ad suum terminum. Servitus est accidens Servi, quo sc. Servus refertur ad Dominum, tamquam ad suum terminum. Ergo Dominium, & servitus sunt Relationes.

Relationis vox tria significat. Primo *enim significat merum accidens merumque conceptū mentis, duas aliquas res sic invicem conferentis, ut relatio inter illas res in solo mentis nostræ arbitrio, non vero in ipsis rebus ullo modo fundetur.* Vnde & *Relatio rationis* dicitur

Talis Relatio est dextri aut sinistri in parietes, collato ad meum latus dextrum aut sinistrum. Talis item Relatio est inter verum Sosiam, Herculem, Theseum &c & Sosiam, Herculem, Theseum Comicum, sive Tragicum.

Secūdo *significat etiam Relatio, accidens reale, extra mentem in ipsis rebus per se & suâ naturâ absolutis ita hærens, ut secundariò & per*

per accidens demum in illis spectetur, aut spectari possit. Hæc est Relatio secundum dici. Talis Relatio est inter Scientiam & rem scibilem; inter fidem & rem fide apprehensam. Tertio, *Relatio significat accidens reale, extra mentem in ipsis rebus, suâ naturâ planè relatis adeo firmiter hærens, ut sine illo accidente res istæ neque esse, neque intelligi possint.* Hæc est Relatio realis, Relatio secundum esse: estque propriissima huius Prædicamenti.

Inter quæ versatur Relatio?

Omnis Relatio est inter duo accidentia Concreta, quorum prius dicitur *Relatum*, τὸ πρός τι, *id nempe, quod ad aliud refertur:* posterius, *Correlatum*, ἀντιστρέφον, *nempe id, ad quod, tamquam ad suum terminum, prius refertur.*

Præceptor

Discipulus

Ita Dominium est inter duo Accidentia concreta Dominum & Servum. Dominus est Relatum, Servus est, Correlatum. Sic Servitus versatur inter Servum tamquam Relatum, & Dominum tamquam Correlatum.

Quæ sunt consideranda in omni Relatione?

C Tria,

Tria, *Subjectum, Fundamentum, Terminus* eius.

Quod est *Subjectum Relationis?*

Subjectum Relationis, sicut aliorum accidentium omnium, sunt Substantiæ.

Quodnam est eius *Fundamentum?*

Est accidens quoddam Substantiæ absolutum (*Quantitas nempe discreta vel Qualitas*) quod efficit, ut Relatio Substantiæ uni pluribusve insit. *Habet ergo Fundamentum rationem caussæ efficientis ad Relationem.*

Quid est *Terminus Relationis?*

Est quasi finis eius, cuius se gratiâ Relatio inest Subjecto. *Scholastici ipsum Correlatum est Terminus Relationis.* Exempli caussâ: Limitatio est Relatio, i. accidens relatum. Subjectum eius sunt duæ Substantiæ invicem collatæ, nempe Lapis, ut Limes: & Ager, ut Limitatum. Fundamentum Limitationis est qualitas Lapidis, nempe gravitas eius, firmitas & immobilitas, actu ad limitandum adhibita, sine quibus omnibus lapis tantum esset lapis, & nullo modo Limes. Terminus Limitationis est ipsa agrorum distinctio. Sic paternitas est Quotuplex Relatio Subjectum homo masculus Fundamentum creatio Sobolis Terminus est soboles creata Relatum Pater Correlativum est filius

Quotuplex est Relatio?

Duplex, *Mutua* & *Non-mutua*. *Mutua* est, quando inter Relata utrimque est aut Relatio realis tantum, aut Relatio rationis tantum. *Sic inter Patrem & Filium, & vice versâ inter Filium & Patrem est relatio tantum realis. Sic item: inter Dominum & Servum: Magistratum & Subditos. Contrà Relatio inter me jumentum & parietem dextrum, est tantum rationis.*

Non-mutua est, quando hoc Relatum habet ad illud Relationem rationis: illud verò ad hoc relationem realem. *Ita Verbum Dei & Sacramenta ad hominem habent relationem realem: at homo ad Verbum Dei & Sacramenta habet relationem rationis. Scientia ad scibile habet relationem realem: aut scibile ad scientiam habet relationem rationis.*

Recita aliquot Regulas de Relatis?

PRIMA.

Relatio addita Subjecto nullam compositionem facit realem: eademque Subjecto detracta, nullam detractionem facit realem.

SECVNDA.

Relata, quà relata, ſeſe mutuo ponunt tolluntque in eſſendo & cognoſcendo.

TERTIA.

Nulla Relatio per ſeſe incurrit in ſenſûs. *Lapis in agro jacens agnoſcitur eſſe limes, non quatenus ſuſtinet hanc Relationem: ſed quatenus de hac Relatione ab alio erudimur.*

QVARTA.

Relatio ad ſui neque introductionem, neque conſervationem opus habet ullo locali contactu aut συνθσία ipſorummet Relatorum.

QVINTA.

Relatio eſt accidens ut debiliſſimum (*quippe alterius abſoluti accidentis adminiculo ſemper indigens*) ita numeroſiſſimum.

ARBOR RELATIONUM.

SEXTA

RELA.

RELATIO vel eſt

- Naturalis, in
  - Mensurâ
    - Intrinſecâ. Talis Relatio eſt
      - Genere, Specie, Causam, Causatum
      - inter Conſanguineos, Affines
    - Extrinſecâ
      - Diri gente. Locus, Locatum. Tempus, res in tempore exiſtens
      - Adjacente. Norma, Normatum.
  - Convenientiâ, ſec.
    - Subſtantiam, Identitas.
    - Quãtitatem, Quãlitatem, Similitudo, qualitas.
    - Relationem, Sensationẽ. Signatum, & Signatum.
  - Disparitiâ
    - Ordine
    - inter
    - Distensa.
- Voluntaria, A.

A. Voluntaria, ſecundum exſtit. voluntatis

- Divinæ
  - Abſolutæ, ſecundum Providentiã
  - Conditionalis, ex mutuâ conventione. Huc pertinent
    - Genere, Specie ralẽ.
      - Legale.
      - Gratiæ.
    - Fœdus
      - Verbum Dei
      - Testimonia Fœderis
- Humanæ, quæ vertitur in
  - Imperio
    - Maiore Magiſtr.
    - Minore Subdits.
      - Domi, Servus,
      - Præceptor, Diſcipulus,
      - Tutor Cliens.
  - Mutuâ conventione, & conſenſu
    - Cõjugium
    - Contractus omnigeni,
  - Collatione, ubi
    - Diſpoſitio Ordo rerum.
      - Voca lis.
      - Relatio alis
    - Signatio
      - Signans tantum,
      - Hedera ſignum vini.
      - Simu obſig Sigill Scept Limes

CAPUT UNDECIMUM.

DE ACTIONE ET PASSIONE.

Accidentia Primaria sic fuerunt: sequuntur Secundaria.

Quid vocas Accidentia Secundaria?

EA nempe, quæ dependent a Substantiâ & Accidente aliquo primario, ut *Quantitate*, *Qualitate*, *Relatione*. A Substantiâ autem & Qualitate dependet *Actio & Passio*. Hinc Prædicam. *Actionis & Passionis* est ordinata Series Actionum & Passionum per genera & species.

Quid est *Actio?*

ACTIO est qualitas agentis, quatenus in patiens agit, & a patiente tamquam a Subjecto recipitur. *Gn. Philipp. est applicatio agentis ad patiēs, quâ fit mutatio aliqua in patiēte.*

Hæ definitiones primo & per se competunt Actioni tantum Transeunti, non Immanenti.

Quæ

Quæ notanda veniunt in omni Actione?

Quatuor. 1. Agens, *tamquam efficiens actionis.* 2. Patiens *tamquam objectum agentis.* 3. Qualitas, *tamquam opus ab agente in patiens introductum.* 4. Actio, *tamquam effectum, seu motus agentis.*

Quid est *Passio?*

PASSIO est qualitas, quatenus per actionem agentis in subjectum patiens recipitur. *Hæc definitio convenit iterum Passioni tantum Transmutativæ, non Intentionali.*

REGVLA.

Omnis actio fit secundum modum recipientis, sive patientis. *vel.* Patiens non recipit per modum agentis, sed per modum suæ patibilitatis, sive receptivitatis. *Sic ab uno & eodem igne stramen citius, lignū tardius comburitur, quia in stramine maior est receptivitas ustionis, in ligno minor.*

ARBOR PASSIONVM

PASSIO *propriè Creaturis competit, eaque*

- *Perficit*
  - Generatim, Omnes quidem Deo nostro & animas pium rum. Dei gubernatur.
  - Speciatim
    - Angelos
    - Corpora
      - Cœlestia, Elementa & mixta
      - Sublunaria
        - Inanimata
        - Animata in
          - Genere, Specie, Animalia quorũ iterũ in
            - Genere, Sensu, quá est receptio specierũ sine materia. Externum.
            - Specie, Passi. Hominis
              - Insite
                - Interne. Intellectus.
                - Externe. Fle. in organum Rius sua.
              - Adventicie, Discipline.
- *Privative* Vide litteram A.

ARBOR ACTIONVM.

ACTIO *est vel*

- DEI
  - Intrinseca. Communis Tres Personæ S.S. essentio.
  - Extrinseca
    - Communis Creatione, Conservatione, Gubernatione.
    - Propria
      - Personis, Patri S.S. tuus Spiritus Sanctus, Filio S.S. tuus Verbum, Spiritui S.S. tuus Amor.
      - Rerum Creatorum Mundum, Assumptionis Humanitatis, Gratiæ Mentes, Illuminationis Mentes, Unionis Mentes, Glorificationis Mentes.
- Creaturæ
  - Spirituales
    - Corporalibus
      - Simplicium Cœlorum Elementorum Inanimatorum materialium. Vegetationes Sensationes Motus Naturales Habituales
      - Mixtorum Animatorum Rationalium
        - Intellectuales, Loquela, Rixa Præsidia Voces, Fletus, Risus Poesis
        - Vegetativæ, Sensitivæ, Motivæ Thoracis

A. Passio privans est in

- Diabolis & animabus impiorum
  - Odium Dei.
  - Damnatio æterna.
- Corporibus
  - Cœlestib Eclipses.
  - Sublunaribus
    - Elementorum quevis corruptio.
    - Mistorum
      - Quorum cumque Putredo.
      - Animatorum
        - Quorumcumque, Morbi, Mors.
        - Hominum
          - Omnium
            - Peccatum
            - Calamitates vitæ.
          - Impiorum, Mors æterna.

CAP. DUODECIMUM.

De postremis quatuor Prædicamentis.

De Præd. Actionis & Pass. hactenus: sequuntur Prædic. secundaria orta ex Quantitate, ad suum Subjectum relata, ut sunt Quando & Vbi.

Quid est *Quando*, sive *Aliquando?*

QVAN-

QVANDO est tempus ad substantiam relatum, eique ut suo subjecto extrinsecus adhærens. *vel, est esse in tempore: esse temporeum.* Tempus est in Quantitate de quo quæritur, per Quamdiu: Contra, idem Tempus est in Quando, de quo quæritur per Quando.

ARBOR PRAED. QVANDO.

QVANDO, *sive esse in tempore, est esse in*

- Præsenti
  - Sæculo, Anno, Mense, Hebdomade, Die.
- Præterito
  - Sæculo, Anno, Mense, Hebdomade, Die, &c.
- Futuro
  - Sæculo, Anno, Mense, Hebdomade, Die, Horâ, Momento.

Quid est VBI vel *Alicubi?*

VBI est locus ad Substantiam relatus, eique extrinsecus ut suo subjecto circumjacens: *seu, est esse in loco, esse locatum.* Locus est in Quantitate, de quo quæritur per Quantum, ut: Quantum spacii habuit Ninive? Respondetur ex Ionæ 3. Iter triduanum. At Locus est in Vbi, de quo quæritur per Vbi, ut: Vbi natus est Christus? Bethlehemi.

ARBOR

ARBOR PRÆD. VBI.

VBI, seu esse locatum: est esse in Loco

- Communi, *ut in*
  - Fo-ro
  - Tem-plo
  - Scho-la
  - Vr-be
  - A-gro
  - Pla-tea
  - Aci-e
- Proprio, *in*
  - Lecto, Musco, Sellâ &c.

Tantum de Quando & Vbi: restant Situs & Habere, quæ oriuntur ex Substantiâ & Relatione.

Quid est *Situs*?

Situs est locus ad partes Substantiæ inter se collatas relatus, illisque tamquam suo subjecto adhærens. Vbi *locum notat, quâ totum locatum adficit, & a toto locato dependet.* Situs *vero locum notat, quâ respondet partibus locati, ad se invicem relatis. Ordo igitur partium locati ad partes loci huc pertinet.*

ARBOR PRÆD. SITVS.

SITVS alius est

- Naturalis
  - Animatorum
    - Capitis, Ventris, Pedum, summo loco, medio loco, infimo loco.
  - Inanimatorum
- Voluntarius
  - Stare.
  - Sedere.
  - Cubare
- Mixtus
  - Situs Vrbium, pagorum
  - Situs arcium, hortorum &c.

Quid est *Habere*?

HABERE significat relationem & habitudinem indumenti cuiuscumque ad partes corporis induti. *Vestis, quâ vestis, est in quartâ specie Qual. Corpus vestitum, non est Ens complex, ac proinde in nullo Præd. Sed vestem habere, vestitum esse &c. huc pertinet.*

ARBOR PRÆD. HABITVS.

HABITVS, est

Primo			Secundò			
Naturalis, ut in omnibus animalibus, solo homine excepto.	Artificialis		Indumenti		Ornamenti, ut Torquatum Coronatum, cristatum esse.	Tormenti, ut Manicatum, Compeditum, Catenatum esse.
	Hominum	Equorum, Canum, &c.	Nocturni, Diurni.	Domestici, Forenses.	Festi, Profesti. &c.	

CAPUT TREDECIMUM.

De Efficiente per se & accidens.

Fuere Prædicamenta: sequitur Terminus merè Mentalis.

Quid est Terminus merè mentalis?

EST notio sive conceptus mētis, non se riem rerum, sed aliam aliquam com muniſſimam relationem definiens, qu una res ad aliam adfecta est: ut ita res mn

mnes tanto melius doceantur ac discantur *Vulgò Terminus Logicus*, κατ' ἐξοχὴν, *Argumentum Logicum*. Hi Termini sunt magis abstractivi & a rebus remotiores, quàm Prædicamenta: item extendunt se ad omnia usque singularia.

Quotuplex est Terminus Logicus?

Duplex, *Ptimitivus* & *Derivativus*: & ille rursus primò, *Consentaneus* aut *Dissentaneus*; secundò, *Absolutus*, aut *Comparatus*.

Quid est Term. Consentaneus?

Est, qui rerum consensionem & concordiam designat, eamque vel Primariam, ut *Causſa* & *Causſatum*: vel Secundariam, ut *Subjectum* & *Adjunctum*.

Quid est *Causſa*?

CAVSSA est, ad quam sequitur Causſatum. Græcè αἰτία, τὸ αἴτιον. *Principium, Elementum*.

REGULA.

Causſa prior est suo Causſato naturâ, cognitione distinctâ, & dignitate.

Quot

Quot sunt Caussæ?

Quatuor, *Efficiens, Materia, Forma, Finis.*

Quid est *Caussa-Efficiens?*

EFFICIENS est caussa, a quâ producitur effectū. Notæ symbolicæ eius, 1. Nomina: Caussa, auctor, effector, institutor, sancitor, magister, Dux, origo, initium, fons, scaturigo, radix, caput, janua, fenestra, porta, pater, mater, faber, materies, cibus, &c. 2. Ablativi caussales. 3. Adverbia caussalia, Vnde, hinc, inde. 4. Præpositiones, propter, secundum, a, ab, per, ex, in, &c.

Ceterùm modi efficiendi duabus præcipuè divisionibus exhauriuntur.

Quæ est prima divisio Efficientis?

Caussa-Efficiens alia est *per se*, alia *per accidens.*

Quid est Efficiens *per se?*

Est, quæ sua propriâ vi & facultate effectum producit. Estque vel *Naturalis*, vel *Spontanea.*

Quid est Efficiens *Naturalis?*

Est,

Est, quæ vi insitâ naturæ, absque ullâ cognitione effectum producit, ut ignis est effic. Nat. ustionis: Nix, refrigerationis: Magnes, attractionis ferri: Sol, calefactionis & lucis, &c.

Hæc semper uno & eodem modo agit, neque suspendere, aut moderari potest actionem.

Quid est Efficiens *Spontanea?*

Est, quæ vi appetitûs pro libitu agit, eoque vel sensitivo tantum, vel voluntario simul: vnde & *Caussa Voluntaria* nominatur. *Avis est caussa spontanea volatûs, aut sessionis. Sed Deus & creaturæ rationales sunt Caussæ Voluntariæ suarum actionum.*

Hæc, & inprimis Voluntaria Caussa potest agere dissimiliter, immo vel suspendere potest actionem, vel eam moderari pro libitu.

Quotuplex est Caussa-Voluntaria?

Duplex, Merè-Voluntaria & Mista. *Illa* ex pleno arbitrio scienter & hilariter effectum producit, ut: *Fideles extra casum tentationis sunt efficiens merè-voluntaria bonorum operum. Mista vero* effectum producit tan-

tum ex arbitrio semipleno, turbato, impedito & hæsitante, ut, Nautæ Ioppenses erant Efficiens Voluntaria Missa ejectionis Ionæ in mare. Ionæ, 1, 13, 14, 15.

Quid est Efficiens *Per accidens*?

Est, quæ præter naturam aut intentionem suam, alienâ quâdam vi effectum producit. *Omnis caussa per se, quatenus eius effectui per se intento, aliud aliquid accidit, Caussa per accidens nuncupatur.* Vt Euangelium, quæ est caussa per se vitæ æternæ, est Caussa per accidens mortis æternæ, quia accidit hoc effectui Euangelii per se intento, ut multi non credentes Euangelio æternâ morte moriantur.

Quotuplex est Efficiens Per accidens?

Duplex. *Fortuita* & *Coacta*.

Quid est Caussa *Fortuita*?

Est, quæ vel casu, *i. præter naturæ suæ institutum*, vel forte fortunâ, *i. præter consilium & opinionem suam* effectum producit, ut Febris est caussa fortuita Temperantiæ Scientia, superbiæ: Veritas, odii. Fossio vinitoris vites plantaturi, thesauri inventi: Iudas, Herodes, Pilatus Christum crucifigentes, redemptionis nostræ, &c.

Quid est Caussa *Coacta*?

Est, quæ agit quidem, sed ex merâ necessitate coactionis, ad certum effectum directæ. *Aliàs Caussa Violenta.* ut Eleazarus fuit Caussa Coacta comestionis suillæ carnis. 2. Macab. 6. Fur condemnatus est caussa Coacta concensionis patibuli.

REGULA.

Una & eadem caussa Efficiens potest esse simul & semel caussa per se hoc respectu: & caussa per accidens, illo respectu.

CAPUT QUARTUM

De Efficiente Solitariâ & Sociâ.

Recita alteram divisionem Efficientis?

EFFICIENS aut est *Solitaria*, aut *Socia*.

Solitaria est, quæ sola absque aliis est sufficiens ad effectum producendum. *Aliàs Totalis caussa.* ut Deus est caussa Solitaria mundi creati. Christus est caussa Solitaria nostræ redemptionis. Fides est caussa Solitaria justificationis. *Socia*

Socia est, quæ unà cum aliis effectum producit, *Aliàs, Causſa Partialis, Conjuncta, Causſa cum aliis.* Consociatio talium causſarum aut est necessaria, *ut Maris & fœminæ ad procreandam ſubolem*: aut tantum cōtingens & arbitraria, *ut, quando sex equi pompæ causſa trahunt currum, quem sæpe duo æquè facile traxerint.*

Quotuplices sunt Causſæ Sociæ?

Duplices, *Æquales*, quarum par est efficacia in operando: aut *Inæquales.* Pater, Filius, Spiritus S. sunt Causſæ Sociæ Æquales conditi mundi.

Quotuplices sunt Causſæ Sociæ *Inæquales?*

Duplices, *Virtute* scilicet, aut *Ordine Inæquales. Virtute autem Inæquales unam habent* Principalem: *ceteras* Minus-principales.

Quid est causſa *Principalis?*

Est, quæ & dignior est, & ceteris plus agit.

Quid est Causſa *Minus-Principalis?*

Est, cuius & dignitas minor est, & actio tantum inserviens Principali. *Villicus est causſa principalis agricolationis: servi, equi, boves, aratrum, vomer, dentale, sarculum &c. sunt causſæ minus principales. Deus est causſa Principalis nostræ conversionis: Ministri, Verbum, Sacramenta, Crux sunt Causſæ minus principales.*

Dic divisionem Causſæ Minus principalis?

Causſa Minus-principalis est vel *Impulsiva*, vel *Adjuvans. Illa* inservit Principali eam movendo & impellendo, sive *extrinsecus*, & dicitur *Procatarctica*: sive *intrinsecus*, & dicitur *Proëgúmena.* Vt, Deus est causſa principalis nostræ justificationis: Meritum Christi, est Causſa Procatarctica: Misericordia Dei est causſa Proëgumena. *Sic Deus est causſa principalis Pœnarum fatalium: Procatarctica, sunt peccata nostra: Proëgúmena, justicia Dei.*

Quid est Causſa *Adjuvans?*

Est, quæ principali causſæ ita inservit: ut eam certo modo adjuvet in agendo, ab eâque justam determinationem suæ actionis accipiat. *Aliàs Causſa Media, Medium.*

Quotuplex est Caussa Adjuvans?

Duplex, *Administra* & *Instrumentum*?

Administra est, quæ principalem ita adjuvat, ut ipsa etiam per se spontaneâ quâdam & insitâ facultate ad effectum producendum sese moveat. Vt *Administræ* Dei sunt Angeli & homines. Sic Milites sunt administræ in castris, sive bellorum; Equi, boves, sunt administræ arationis: Canes, Venationis.

Instrumentum est, quod principalem ita adjuvat: ut ad producendum effectum sese ipsum nullâ insitâ vi moveat. Malleus est instrumentum securis fabrefactæ: Arma sunt instrumenta belli: aratrum, arationis: casses, retia, venationis.

REGULÆ.

Reg. I. Tota natura & essentia Caussæ Adjuvantis consistit in usu & auxilio, quod præstat Caussæ Principali; & illo ipso usu suo refertur & definitur.

Reg. II. Principalis caussa, si tam potens est, ut etiam sine Adjuvantibus tantumdem efficere possit; quantum cum illis, etiam per malas caussas Adjuvantes bene operabitur.

Tales sunt Caussæ Sociæ Virtute Inæquales: sequuntur Ordine Inæquales, seu Subordinatæ.

Quid sunt Caussæ *Subordinatæ*?

Sunt, inter quas ordo est superiorum & inferiorum, ita ut una sit *Prima*: ceteræ *Secundæ*.

Absolutè-Prima Caussa quæ nullo respectu fieri potest Secunda, & sine quâ nulla Secunda caussa quidquam operatur, est DEVS OPT. MAXIMVS.

Secundum quid-Prima Caussa est quævis caussa creata, quatenus in suo genere prima est. Primum mobile est Prima caussa omnium motuum in mundo. Anima rationalis est caussa prima omnium motuum in homine. Diabolus est Prima caussa lapsûs Adami.

Quid vocas Caussas *Secundas*?

Secundas Caussas dico, quæ gubernantur a Primâ.

REGVLAE.

I. Cessante concursu caussæ absolutè Primæ, Secundæ nihil agunt, nec agere possunt.

II. Cessante vero concursu caussæ sec. quid primæ: secundæ tamen interdum sese movere possunt. Exemplum habes Iosuæ, 10, 12, in stratione Solis, &c.

Quomodo dividuntur Caussæ Secundæ?

In *Remotas*, & *Proximam effectui*. Avus est caussa remota nepotis, Pater, proxima. Intemperantia est caussa remota hydrópis.

REGULA.

Caussa Proximâ datâ dantur omnes Remotæ, unà cum ipso effecto Caussæ Proximæ.

Quotuplices sunt Caussæ Subordinatæ?

Duplices, *Subordinatæ per se*, & *Subordinatæ per accidens*. *Illæ*, vi suæ propriæ naturæ aut consilii pariter & unanimiter tendunt ad unum & eundem effectum, sibi consentaneum. *Hæ* contra habent. Vna enim earum agit per se, altera per accidens.

RE-

REGULÆ.

I. De Subordinatis per se certum est hoc Axioma: *Quidquid est caussa caussæ, est etiam caussa caussati.* Avus est caussa mei parentis, qui est caussa mei. Ergo idem Avus est etiam caussa mei, qui sum caussatum mei Parentis.

II. In Subordinatis per accidens una Caussa potest esse bona, justa, sancta: altera mala, injusta, scelerata. Sic in omnibus actionib. humanis subordinantur invicem Dei providentia, & Voluntas humana. Sed quando actio hominis est peccatum: tunc Voluntas hominis est caussa per se peccati: divina providentia vero tantum per accidens: quia Deus peccatum nec vult, nec approbat, nec intendit suâ providentiâ: sed tantum a peccante creaturâ certo suo consilio fieri permittit.

CAPUT QUINTUM DECIMUM.

De Materiâ, Formâ, Fine.

Quid est *Materia*?

EST caussa, ex quâ producitur res materiata. ὕλη. *Potentia*, *Potestas*. *Notæ eius*:

Præpositio Ex & omnia vocabula materiam denotantia. Item Adverbia, Vnde, inde, hinc, ut Farina est materia panis: elementa sunt materia corporum mistorum: pannus est materia vestis.

Quid est *Forma?*

Forma est caussa, per quam formatum est id, quod est. *Dicitur Forma, quia informat & polit ruditatem Materiæ. Estque specifica, quia constituit Totum Compositum in certo gradu Entium.* Vt, Anima rationalis est forma hominis, Ordo dispositionis trium propositionum est forma Syllogismi: significatio est forma Vocis: repugnantia cum lege est forma peccati.

Quid est *Finis?*

Finis est caussa, cuius gratiâ res finita sive destinata est. *Græcè τέλος. Notæ eius 1.* Synonyma Finis vocabula, ut Vsus, Officium, munus, functio, vis, scopus, intentio, consilium, propositum, meta, utilitas &c. 2. Ablativi, Gratiâ, caussâ, nomine, intuitu, adspectu. 3. Particulæ, eó, quò, quorsum, propterea, ut, ne.

REGULÆ.

I. Finis semper habet rationem boni, sive veri, sive apparentis.

II. Fi-

II. Finis est primum in intentione, & ultimum in exsequutione. Vltimum tamen illud non tam Finis est, quàm effectum e caussis productum, & planè analogum atque conforme illi, quod fuit in intentione.

III. Finis dat mediis honorem, amabilitatem, ordinem ac mensuram.

IV. Finis coincidit cum Formâ, & supplet locum Formæ, in iis omnibus, quorum essentialis perfectio consistit in usu.

V. Vnius rei possunt esse multi fines, invicem subordinati.

Quotuplex est Finis?

Duplex. *Principalis, Summus, seu Vltimus,* cuius gratiâ principaliter res est, & ad quem cetera omnia destinantur: & *Minus principalis, Secundarius, Subordinatus, Intermedius,* qui sc. destinatur ad finem principalem, eique inservit. Cænæ Dominicæ Finis principalis est confirmatio fidei in Christum pro nobis traditum. Minus principales sunt 1. Gratitudo nostra Deo & Salvatori nostro debita. 2. Confessio fidei nostræ. 3. Conservatio publicorum cœtuum Ecclesiæ. 4. Dilect-

Dilectio mutua inter nos. 5. Vitatio scandali, & ædificatio aliorum &c.

CAP. SEXTUM-DECIMUM.

DE CAUSSATO.

Caussas sic dedimus: sequitur de *Caussato*.

Quid est *Caussatum*?

CAVSSATVM est, quod vi caussarum existit. *Sicut autem Caussatorum, quæ nobis semper notiora sunt, intimam naturam ex caussis cognoscimus: ita vice versâ caussas per caussata investigamus.*

Quotuplex est Caussatum?

Aut est singularum Caussarum *singulare*: aut plurium caussarum *commune*. Singularia autem Caussata tot sunt: quot sunt Caussæ, nempe *Effectum, Materiatum, Formatum, Finitum seu Destinatum*.

Quid est *Effectum*?

Est caussatum efficientis, i. *Operatio, aut opus eius.* Illa *consistit in fieri*: hæc *est res jam*

jam effecta atque existens. Huc pertinent omnia facta & actiones: dicta & scripta: consilia & deliberationes.

Quid est *Materiatum*?

Est caussatum Materiæ, *seu, est id quod ex Materiâ productum est.* ut Homo est Materiatum Terræ: panis est materiatum farinæ, vestis, panni; Vocabulum, litterarum & syllabarum: planta: seminis: nubes, vaporis.

Quid est *Formatum*?

Est caussatum Formæ. *seu, est res habens formam.* ut, Homo est formatum Animæ rationalis. Vocabulum est formatum significationis genuinæ.

Quid est *Destinatum*?

Est caussatum finis, *seu quod ad finem ordinatum est. Aliàs Medium, Adminiculum, Adjumentum. Vt*, Cibus, potus, Somnus, vestes, domus, *sunt* Destinata vitæ humanæ. Ministerium est destinatum conversionis & salutis: Sacramenta sunt destinata fidei roborandæ. Bellum est destinatum pacis. Sabbatum est destinatum hominis, non contrà. Marci. 2, 27.

Quot sunt Caussata plurium Caussarum?

Duo,

Duo, *Essentia*, & *Existentia*.

Essentia rei creatæ est natura communis, ex Materiâ & Forma constituta, quæ unâ voce *Compositum* dicitur.

Existentia est essentiæ operatio per quam ipsa essentia actu subsistit, *seu, est essentiæ ad certum individuum restrictio.* Illa est universalium; *hæc* singularium. *Nulla Existentia caret essentiâ: sed essentia sæpe caret existentiâ.* Essentia rosæ manet etiam in hieme in Ideâ, ubi nulla est rosæ Existentia. Essentia Eclipseos perpetuò durat, sed Existentia eius est tantum certorum Noviluniorum & Pleniluniorum.

CAP. SEPTIMUM-DECIMUM.

DE SUBIECTO.

Exposuimus Terminos consensionis primariæ: restant Termini consensionis secundariæ, videlicet Subjectum & Adjunctum.

Quid est *Subjectum*?

SUBIECTUM est, quod rem aliquam sibi quocumque modo adjunctam habet. *Aristoteli Substantia, Species, Suppositum, Individuum.*

Sed subjectum tantum substernitur suis adjunctis, quæ primum a suis caussis sunt producta. Consentiunt igitur tantum secundariò.

Quotuplex est Subjectum?

Triplex, Subjectum *in quo*, Subjectum *ad quod*, Subjectum *circa quod.*

Quid est *Subjectum in quo?*

Est, quod intra sese continet Adjunctum. *Aliàs Subjectum Inhæsionis, Subjectum Inhærentiæ*, Vt, *Substantia est Subjectum in quo* Quantitatis, & Qualitatum. Mens, scientiæ & virtutis: Christus, justiciæ salvificæ; Electi, veræ fidei.

Quotuplex est *Subjectum in quo?*

Duplex, *Proprium*, & *Commune*. *Illud* cum suo Adjuncto reciprocatur, *unde Adæquatum, Primum, Immediatum dicitur: Hoc* non reciprocatur, unde *Non-adæquatum, Mediatum, Secundarium nuncupatur.* Vt, Animal, est *Subjectum Proprium* Sensus, sed *Subjectum commune* Quantitatis. Homo est *Subjectum proprium* risibilitatis, sed *Subjectum commune*, sensus. Electi sunt *Subjectum* Proprium fidei salvificæ, sed *Subjectum commune* fidei historicæ, & temporariæ.

Quid est *Subjectum ad quod?*

Est,

Est, quod extrinsecus ad sese recipit adjunctum, illudque sustentat, aut amplectitur. *Aliàs Subjectum adhæsionis, Subjectum adhærentiæ, Subjectũ Sustentans, Subjectũ cui.* Vt, Homo est Subjectum ad quod divitiarum, paupertatis, honoris, infamiæ, vestitus. Imperator bellicus est Subjectum ad quod sui exercitûs, comitatûs, armorum. Vulnus est Subjectum ad quod emplastri. Locus etiam huc pertinet, quatenus ambit extrinsecus rem locatam, neque eius essentiam ingreditur.

Quid est *Subjectum circa quod?*

Est, quod adjunctum ita occupat, ut tota adjuncti operatio circa illud versetur. *Aliàs Objectum, Materia circa quam,* ἐν ᾧ ἐνέργεια. Vt Veritas est objectum Intellectus humani: Bonitas, seu Bonum, Voluntatis humanæ. Mundus & omnia mundana, maxima, minima, mediuxima sunt objectum providentiæ divinæ.

Quotuplex est *Objectum?*

Sæpe dividitur in *Internum* & *Externum. Internum* est intra adjunctum, circa illud occupatum, *quale est in artibus Subjectum doctrinale, tractationis. Externum Objectum*, est extra adjunctum circa illud occupatum. Tale est in artibus, *partim* Subjectum informationis, *i. illa facultas in homine, quæ arte informanda est: partim* Subjectũ operationis, sive, usûs, *ut sunt illæ res, in qnibus operatio & usus artis exercetur.*

CAPUT XIIX.

DE ADJUNCTO.

Terminus Subjecto correlatus est Adjunctum.

Quid est *Adjunctum?*

ADJVNCTVM est, quod Subjecto alicui quovis modo adjungitur. *Vulgò Accidens.* Sed Accidentis vox equo generalior est, sæpeque Effectis fortuitis, Subjectis & aliis Terminis Logicis denotandis adhibetur.

Quotuplex est Adjunctum?

Triplex, Adjunctum *Inhærens*, Adjunctum *Adhærens*, & Adjunctum *Occupatum.*

Quid est *Adjunctum Inhærens?*

Est, quod Subjecto internè inhæret,

unde & *Adjunctum Internum* appellatur.

Estque vel *Essentiale* aut *Accidentale*.

Quid est *Adjunctum Inhærens Essentiale?*

Est, quod ab intimâ Subjecti essentiâ dependet. Vulgo *Adjunctum proprium*, ἴδιον κατὰ. Estque vel *Primum*, vel *Ortum*.

Primum, quod primò & immediatè fluit ab ipsâ Subjecti essentiâ, ac proinde soli & omni Subjecto semper inhæret. Prophyrio Proprium quarti modi. Vt, Facultas intelligendi, volendi, videndi, flendi, loquendi &c. sunt Adjuncta Propria Prima Hominis: Calor est Adj. Prop. Primum Ignis. *Huc pertinent omnes potentiæ essentiales.*

Ortum, quod quidem soli & omni Subjecto inhæret, sed non semper. Porphyrio Proprium tertii modi *Tales sunt omnes actus sive operationes essentiales*, ut Ratiocinatio, visus, fletus, loquela hominis: Vstio ignis, actualis tractio ferri facta a Magnete &c.

REGULÆ.

I. *Adjunctum Proprium Primum & cum Subjecto suo reciprocatur: & ne ad momentum quidem separabile est a suo Subjecto, sine Subjecti destructione.*

II. *Nullum tale Adjunctum potest realiter communicari Subjecto disparato.*

III. *Sed Adjunctum* Proprium Ortum bene *potest separari a Subjecto, salvâ eius essentiâ.* Ignis fornacis Babylonicæ mansit ignis, etsi actu non ureret Tres Confessores.

Quid est *Adjunctum Inhærens Accidentale?*

Est, quod ita Subjecto inhæret: ut non ab essentiâ eius, sed aliunde dependeat. Aliàs Accidens Commune. Estque aut *Separabile*, quod facile a Subjecto separari potest, ut *Sanitas, sessio, statio, cubatio, somnus, vigilia in homine*: aut *Inseparabile*, quod difficulter actu separari potest, etsi separari nihil repugnet, *ut nigredo corvi, albedo cygni, cæcitas talpæ, scientia, ars, fides salvifica, caritas, spes, patientia &c.*

Quid est *Adjunctum Adhærens?*

Est, quod Subjecto externo adhæret, sive Substantia sit, sive accidens. Aliis Consensus in nexum currens

nexum, *Adjacens*. *Vt* Sordes, squllor, pulvis sunt Adj. Adhærentia facie: vestes, arma, corpora humana: res locata, loci. *Huc pertinent Prædicamenta* Quando, Situs, Habitus.

tia dicuntur SIGNA.

Quotuplicia sunt *Adjuncta Adhærentia*?

Triplicia. Antecedentia, ut Mors est Adj. Ant. resurrectionis. Aurora, ortus Solis. Decretum permissionis lapsus, ipsius lapsus. Gemmæ arborum, æstatis. Comitantia, ut, Passionis Dominicæ Adj. Comitantia fuerunt Eclipsis Solis, ruptura petrarum, scissio veli. Remissio fraterna est Adj. Comitans divinæ. *Consequentia*, ut Sol est Adj. Consequens Auroræ: Vita æterna, crucis & bonorum operum huic præstitorum, Sepultura, mortis: Passio Christi, Cænæ Dominicæ.

Ad Adjuncta Antecedentia pertinet omne Tempus præteritum: ad Comitantia, omne tempus præsens: ad Consequentia, omne tempus futurum.

Quid est *Adjunctum Occupatum*?

Est, quod circa Objectum agendo occupatur, ut, Fides Christiana est Adj. Occupat. Verbi Dei, & inprimis promissionis gratiæ: Adoratio, est, Adj. occ. circa solum verum Deum: Logica est Adj. occ. circa rationem informandam, circa modum bene docendi explicandum, circa omnes materias Logicè tractandas.

CAPUT

CAPUT XIX.

DE DIVERSIS.

Terminos Consentaneos recensuimus, restat Terminus Dissentaneus.

Quid est *Terminus Dissentaneus*?

EST, qui rerum dissensionem & discordiam designat, eamque vel nudæ *diversitatis*, hinc *Diversa*: vel plenariæ *oppositionis*, hinc *Opposita*.

Quid sunt *Diversa*?

DIVERSA sunt quæ ita dissentiunt, ut tamen in uno eodemque subjecto simul eodem tempore subsistere possint. *Semper igitur aliquà dissentiunt, & aliquà consentiunt: valentque tantum ad declarandum Themata simplicia: non ad probandum Conjuncta.*

Quotuplicia sunt Diversa?

Duplicia, *Alia* consentiunt naturâ & dissentiunt suo certo modo ac respectu:

alia differentiunt naturâ, & consentiunt Subjecto.

Explica *primum genus* Diversorum?

Diversa, quæ naturâ consentiunt, atque ita re unum sunt:

Hæc est Distinctio rationis.

Aut differunt, *Sola mentis nostræ operatione.* Sic unus & idem Paries pro diverso arbitrio mentis & positûs mei ad parietem nunc fit dexter, nunc sinister. Una & eadem persona histrionis nunc est Sosia, nunc Demea, nunc Mitio, nunc Amphilus, pro libitu scilicet meo.

Distinctio Modalis.

Aut differunt *Modo seu respectu aliquo, in ipsâ re extra intellectum fundato, ut quæ differunt appellatione, perspicuitate significationis, loco, tempore, partibus, gradibus.* Sic ensis & gladius sunt re unum, appellatione variant: Definitum & Definitio sunt re unum: sed differunt ratione claritatis. Fedus gratiæ est re unum: sed variat tempore &c.

Distinctio formalis.

Aut differunt *definitione.* Sic differunt Animal & Homo. Quæstio controversa, & conclusio Syllogismi. &c.

Declara *alterum genus* Diversorum?

Diver-

Diversa, quæ naturâ dissentiunt, i. *quæ non sunt una & eadem res, sed sunt duæ res distinctæ,* conueniunt tamen uni & eidem Subjecto simul eodem tempore. Sic Substantia, Quantitas, Qualitas sunt talia Diversa: quia in unum & idem Subjectum simul eodem tempore coëunt, etsi non sint natura unum. Talia quoque sunt, Pietas, & Diuitiæ respectu Abrahami. Deformitas & facundia respectu Vlyxis: Anima rationalis & corpus respectu hominis: Deitas & Humanitas respectu Personæ Christi Mediatoris.

Distinctio Realis vulgò dicta.

CAPUT XX.

DE CONTRADICENTIBUS.

Fuere *Diversa:* sequuntur *Opposita.*

Quid sunt *Opposita?*

OPPOSITA sunt eiusmodi dissentanea, quæ numquam eidem Subjecto, secundum idem, ad idem, & eodem tempore tribui possunt. *Secundum idem,* i. secundum unam & eamdem Subjecti caussam, partem, naturam & adfectionem internam. *Ad idem,* i. respectu eiusdem

Fundamentum omnis veræ Oppositionis seu Distinctionis Realis propriè dictæ.

circumstantiæ externæ, ut *temporis*, *effectorum*, &c.

REGULA.

I. *Opposita sunt simul naturâ, & noticiâ.*

II. *Opposita, quâ talia, habent opposita attributa.*

III. *Opposita invicem opponuntur juxta illa in quibus differentias quibus dissident, non juxta genus aut communia accidentia.*

Quotuplicia sunt Opposita?

Duplicia, nempe Pugnæ aut *Infinitæ*, ut *Contradicentia*, aut *Finitæ*, ut reliqua.

Quid sunt *Contradicentia*?

Sunt opposita, quorum alterum opponit alteri in infinitum omnia, sine ullâ exceptione, *ut* Homo, *non homo*: Lapis, *non lapis*: Ens, *non Ens*. Terminus negatus, Non-homo, opponit suo termino opposito (Homo) omnia in infinitum, sine ullâ exceptione. Quidquid igitur non est Homo, id est non homo.

Contradicentia igitur sunt opposita omni medio carentia, ac proinde omnium infestissima.

CAPVT

CAPUT XXI.

De Privantibus, Contrariis, Disparatis & Relate-oppositis.

Tantum de *Contradicentibus*: sequuntur *Opposita* Pugnæ *finitæ*.

Quid sunt *Opposita pugnæ finitæ*?

SUNT, quæ non omnia promiscuè suo ambitu complectuntur, sed tantum res certas ac determinatas. Suntque vel *Absoluta*, ut *Privantia* & *Positiva*, vel *Relatè-Opposita*.

Quid sunt *Privantia*?

PRIVANTIA sunt opposita quorum alterum opponit alteri privationem & absentiam rei bonæ in subjecto, istius rei bonæ per naturam capaci, vel: *Privantia sunt Habitus & Privatio invicem opposita*, ut lux in aëre; vita, visus, sanitas, vigilia, in animali sunt Habitus. At Tenebræ in aëre: mors, cæcitas, morbus, somnus in animali sunt Privationes.

REGULA.

Privantia requirunt Subjectum, quod per naturam capax est utriusque Privantis.

Lapis igitur neque cæcus dici potest, neque videns. Arbor in hieme neque sterilis dicenda est, neque frugifera. Infans non magis dici debet mutus aut edentulus, quam loquens, aut dentibus præditus.

Quid sunt *Opposita Positiva*?

Sunt, quorum utrumque certam quamdam rem, formam seu habitum ponit. Sunt vel *contraria* vel *Disparata*.

Quid sunt *Contraria*?

CONTRARIA sunt Opposita Positiva, quæ licet semper sint sub uno communi genere, aut proximo aut saltem remoto; tamen inter se essentiâ & naturâ quàm maximè dissident: ita ut se mutuò expellant ex eodem Subjecto, nisi alterum insit naturâ. *Ciceroni Adversa.*

Calor & Frigus sub commum genere Qualitatis Tactilis inter se naturâ sic dissident, ut unum pellat alterum ex eodem Subjecto. Calor tamen per nullum frigus pelli potest ex igne, quia igni inest naturâ.

Quotuplicia sunt *Contraria*?

Dupli-

Duplicia, *Mediata & Immediata. Illa* habent medium participationis extremorum: *hæc* vero non item. Contraria Mediata sunt Album & nigrum, respectu mediorum colorum: Pax & bellum, respectu induciarum: calor & frigus respectu temporis. *Contraria Immediata sunt* Par & Impar in numero, Rectum & Curvum in Lineâ, Bonitas & Malitia in Angelis.

Quid sunt *Disparata*?

DISPARATA sunt opposita positiva, quorum unum multis eâdem ratione opponitur. Talia sunt 1. Individua eiusdem speciei, ut Cicero, Plato, Aristoteles, 2. Individua diversarum specierũ, ut: Bucephalus. Arion equus Adrasti, Argus canis Vlyxis. 3. Diversæ species eiusdem generis, ut Homo, Equus, Canis, leo. 4. Species diversæ diversorum generum, ut, Homo, linea, numerus, lapis, scientia, Pater, Dominus &c.

Quid sunt *Relatè Opposita*?

RELATE-OPPOSITA sunt, quorum unum ita opponitur alteri: ut tamen nihilo minus unum essentialiter dependeat ab altero. Vt: Pater, Filius, Dominus, Servus. *In Relate-Oppositis consideratur Pater, quatenus*

nus non est Filius, & contra. At in Prædicamento Relationis consideratur Pater, ut Filii Pater, & contra.

CAPUT XXII.

De Comparatis quoad Substantiam.

Tantum de Terminis Primitivis, Consentaneis & Dissentaneis: sequitur *altera divisio* Termini Primitivi in *Absolutum & Comparatum.*

Quid est *Terminus Absolutus?*

EST, qui citra ullam comparationem alium Terminum adficit. *Ita Caussa adficit Caussatum: Subjectum, Adjunctum: Dissentaneum unum, Dissentaneum alterum.*

Quid est *Terminus Comparatus?*

Est, qui alium Terminum adficit comparatê, *i mediante termino tertio, duos illos priores invicem comparante.* Vt Fides est Terminus comparatus ad Aurum, quia adficit Aurum comparatê, nempe mediante tertio termino comparante, quæ est

est adjuncta exploratio similiter habens in Fide & in Auro. *Sicut enim Auri exploratio fit per ignem medium valdè violentum ita Fidei exploratio fit per res adversas, medium itidem violentum.*

REGULÆ.

I. Tertius Terminus Comparans semper est aut Caussa, vel Caussatum: aut Subjectum vel Adjunctum: aut genus vel species Terminorum duorum Comparatorum.

II. Comparatio nunc enunciatur contractê in unâ sententiâ ut: Vera fides eodem modo probatur, quo aurum: *nunc explicatê in duab. distinctis sententiis, quarum prior est* Protasis, *altera* Apodosis, *ut:* icut aurum probatur igne naturali: ita vera fides probatur igne adversitatum.

Quotuplicia sunt *Comparata?*

Duplicia, Comparata *quoad Substantiam*, & Comparata *quoad Accidentia.*

Quæ sunt Comparata *quoad Substantiam?*

Quorum aut Substantia est eadem, & dicuntur *Vnum* seu *Idem*: aut Substantia est diversa, & dicuntur *Aliud & Aliud.*

Compa-

Comparatio inter duo, quæ sunt Idem, dicitur Identitas: *Comparatio inter duo, quæ sunt Aliud & Aliud, dicitur* Differentia.

Quot modis duo Comparata possunt esse *Idem*?

Tribus modis. Aut enim sunt *Idem numero*, ut Solhodiernus, & Solhesternus, Cicero per & Cicero senex, Viadrus Bregensis & Viadrus Preslaviensis. Aut sunt *Idem specie, ut* Socrates, Plato, Aristoteles. Aut sunt *Idem genere, ut* Homo, bos, lepus, leo, taurus, equus. Baptismus & Cæna Dom. sunt idem genere, quia ambo sunt Sacramenta. *Tot modis igitur duo comparata possunt etiam esse* Aliud & Aliud.

CAPUT XXIII.

De Comparatis Paribus & Imparibus.

Comparata *quoad Accidentia*, sunt Comparata vel in *Quantitate*, ut *Paria & Imparia*: vel in *Qualitate*.

Quid sunt *Comparata Paria*?

PARIA sunt, quorum in aliquo tertio par est Quantitas. Notæ Parium sunt 1. Nomina, ar, æqualis, parilis, dignus, tantus, quantus. 2. Verba æquare, æquiparare, æquipollere, 3. Particulæ periodicæ. Tam, quam, tanto quanto, eò quo, tum, tum, & &, quoties, toties; æquè, pariter. 4. Negatio maioris aut minoris, Non magis, quam, Non minus, quam. Vt, Non minor est virtus, quam quærere, parta tueri. Creusa erat Par levibus ventis, volucrique simillima vento.

Quid sunt *Comparata Imparia*?

IMPARIA sunt, quorum in uno tertio impar est Quantitas, nempe, unius maior: alterius minor. Imparium igitur unum est *Maius*, alterum *Minus*.

MAIVS est, cuius quantitas in comparatione vincit & exsuperat alterum. Notæ eius 1. Comparativi excellentiæ, ut, Auro quid micius? Iaspis. quid Iaspide? Virtus 2. Verba, Præstare, antecellere, superare, anteire. 3. Particulæ periodicæ, Cum, tum, non modo, sed etiam.

MINVS est, cuius quantitas in comparatione vincitur & superatur. Notæ Minoris 1. Comparativi vilitatis, vt, Vilius argentum est auro,

auro, virtutibus aurum. 2. Particulæ Comparativæ, Non modo non, sed ne quidem, Potius, hoc, Malo hoc quam illud. 3 Negatio parium, ut, ς Eclogâ:

neque me tantum venientis sibilus Austri,
Nec percussa juvant fluctu tam litera: sc.
quàm tuum carmen me juvat & delectat.

CAPUT XXIV.

De Comparatis *Similib.* & *Dissimilibus.*

Comparata in Qualitate sunt *Similia* & *Dissimilia.*

Quid sunt *Comparata Similia?*

SIMILIA sunt, quorum in aliquo tertio similis est Qualitas. *Aliàs Analoga, Proportionalia. Comparatio horum in specie dicitur Similitudo, Analogia,* Proportio. Notæ similium *in Sententiis Contractis.*

1. Nomina. *similis, effigies, imago, more, ritu, modo, in modum, simulacrum, typus, signum, figura.* 2. Verba, *Imitor, refero, repræsento.* 3. Adverbia, Vt *sicut, ceu, tamquam, quasi, velut, instar.* 4 Negatio dissimilitudinis. Non dissimilis, non dispar. Exempla Tempora labuntur more fluentis aquæ. Homo est instar bullæ. Vitis imago tori junctâ quæ pendet ab ulmo Stulte. quid est somnus gelidæ nisi mortis imago? Notæ

Notæ similium in *sententiis periodicè explicatis. In Protasi:* Talis, sicut, ut, quemadmodum, quo more, non aliter, non secus. *In Apodosi:* Qualis, sic, ita, quàm &c. ut: Qualis Rex, talis grex. *Sicut perdix ova colligit, quæ non excludit: ita avarus divitias corradit, quibus non fruitur.*

REGULÆ.

I. Omne Simile est etiam aliquo modo dissimile alteri.

II. Nulla Similitudo longius est extendenda, quàm pro scopo argumenti præsentis.

Quid sunt Dissimilia?

DISSIMILIA sunt comparata, quorum in aliquo tertio dissimilis est qualitas. *Horum Comparatio speciatim Dissimilitudo nuncupatur, semperque posterior pars Comparationis in Sententiis periodicè explicatis dicitur* Antapodosis. *Notæ Dissimilium*

1. Nomina Dissimilis, dispar, differens, alius, diversus, discrepans, contrarius disparatus, diversâ ratione, conversâ ratione. 2. Verba, Differre, discrepare, dissidere, distare, pugnare, abesse &c. 3. Negatio Similitudinis: Non ita, non taliter, aliter. 4. Particulæ adversativæ,

sativæ, At, ast, verum, vero, sed. Exempla. Corporalis exercitatio ad pauca utilis est: at pietas ad omnia, &c. Hystrix spinas suas jaculatur non nisi in lacessentes: ast obtrectator innocentissimum quemque sauciat.

CAPUT XXV.

De Conjugatis & Definitione nominis.

Logica Term. Primitivorum data est: restat Logica Termini Derivativi.

Quid est *Terminus Derivativus?*

EST, qui a Primitivo fluit vel solâ arguendi similitudine, ut *Termini Nominales; Totum & Partes*: vel simul etiam compositione aliquâ.

Quid sunt *Termini Nominales?*

Sunt nomina, sive vocabula, vi rerum significatarum relationem mutuam habentia, ut *Conjugata, & Definitio Nominis.*

Quid sunt Conjugata?

CON-

CONJUGATA, sunt duo nomina eiusdem originis, quatenus vi rerum significatarum relationem aliquam Terminorum primitivorum ad se invicem habent. Græcè σύζυγα, τύσοιχα, παρώνυμα, πτώσεις. Ut *justicia & justus sunt duo nomina eiusdem originis, quorum res significatæ cohærent invicem, ut caussa & caussatum, vel adjunctum & subjectum.* Ergo ipsa quoque vocabula hanc relationem mutuam habent, atque eo respectu sunt Conjugata.

Conjugator. unum dicitur Abstractè: alterum Concretum.

REGULA.

Non omnis Conjugatio Grammatica dat Conjugationem Logicam: neque omnis Conjugatio Logica postulat necessario Conjugationem Grammaticam. Vinum & vinosus: somnus, somnolentus, somniare, sunt Conjugata Grammatica: sed non nisi per accidens tantum sunt Conjugata Logica. Contra vero, Virtus & probus, eloquentia & Orator, Morbus & æger, eruditio & doctus, sunt Conjugata Logica sed nullo modo Grammatica.

Quid est *Definitio Nominis?*

DEFINITIO nominis est dati vocabuli, formulæ seu phtaseos explicatio, sive per eius *Etymologiam*, sive per *æquipol-*

lentiam, sive per *distinctionem idoneam.*

Quid est *Etymologia?*

ETYMOLOGIA est nominis dati per vocem suam originalem interpretatio, *quâ sc. consideratur, cuius Termini Primitivi naturam habeat res voce illa originali significata ad rem per nomen datum significatam. Aliàs Notatio, Derivatio nominis.*

Vt, Vesta dicitur, quasi vi suâ stans, *a caussa efficiente.* Homo, *ab humo, i. a materiâ.* Verres, *a verrendo i. ab effecto.* Aprilem memorant *ab aperto tempore dictum.* Pomona, *a pomis, quæ custodit, i. ab objecto.* Virtus, *a viro, i. a suo adjuncto occupato.* Mulier, *a mollicie, i. ab adjuncto.* Bellum, *quasi non bellum, a contradicente.*

Quid est *Æqvipollentia?*

Est oblatæ vocis, locutionis aut formulæ obscurioris declaratio per alias clariores, sive uniꝰ & eiusdẽ linguæ, sive diversæ.

Vt Euangelium *i. lætum nuncium*, Iesus, *i. Salvator.* Christus *i. unctus.* Lysidicus, *i. qui omnia jura dissolvit.* Sedere ad dextram Dei Patris, *i. nomine Dei Patris in cælo & in terra, præsertim vero in Ecclesiâ omnia administrare &c.*

Quid

Quid est *Distinctio vocis?*

Est vocis multa significantis seu ambiguæ ad unam significationem, argumento præsenti accommodatam, revocatio.

Cancer significat *nunc animal aquatile, nunc morbum, nunc sidus cæleste.* Iustificatio significat *justitiæ adsignationem factam aut a Deo, aut ab hominibus.* Fides significat *nunc solam noticiam, nunc simul assensum: nunc insuper etiam fiduciam. &c.*

CAPUT XXVI.

De Toto Et Partibus.

Quid est *Totum?* Quid *Partes?*

TOTVM est, quod habet suas partes. *Græcè* ὅλον. PARTES sunt, quæ pertinent ad suum Totum.

Quotuplex est *Totum?*

Duplex, *Vniversale*, vel *Compositum.*

Quid est *Totum Vniversale?*

Est, quod singulis partibus sibi subjectis totam suam essentiam æquabiliter

communicat. *Vnde Symbolum est Materiæ & Formæ saltem genericæ.*

Dicitur usitate vel Genus, *& tum Partes eius dicuntur* Species: *vel* Species, *& tum Partes eius dicuntur* Individua. *Vide supra cap. 4.*

REGULÆ.

I. Genus necessariò complectitur sub se Species unâ plures. Sic Animal sub se habet Hominem & Brutum.

II. Posito Genere, necessariò ponitur Species promiscuè aliqua: negato genere, quævis species negatur.

III. Species est Genere suo posterior naturâ, & cognitione distinctâ.

IV. Nihil est in Genere, quod non insit in quavis specie, utpote quæ totam essentiam Generis exhaurit.

Quid est *Totum Compositum?*

Est, quod a suis partibus componitur, sive constituitur *Vnde naturam habet Caussati: Partes eius naturam Caussarum essentialium.*

REGV-

REGULÆ.

I. Non omne, quod Toti Composito competit, competit statim cuicumque eius parti.

II. Proprium tamen Partis, semper est commune Totius, respectu illius Partis. Animæ propria sunt, intelligere, velle, ratiocinari, esse immortalem. Hinc Totus Homo rectè dicitur intelligere, velle &c. sc. respectu Animæ. Corporis propria sunt, esse quantum, elementare, corruptibile. Et hæc propria sunt Totius Hominis, quoad corpus.

III. Omnis Pars, quà pars, est quiddam incompletum.

Quotuplex est *Totum Compositum?*

Duplex, *Essentiale*, vel *Integrale*.

Totum Essentiale partes habet, ipsam essentiam Totius distinctè constituentes, ita ut una sit Materia, altera Forma Totius. *Huius Partes dicuntur Essentiales, item Formales.* Tale Totum est Homo, constans duabus partibus essentialibus, Animâ nempe, tamquam formâ, & Corpore, tamquam Materiâ. Sacramentum est Totum essentiale constans partibus essentialibus 1. Elemento visibili, quæ est eius Materia. 2. Verbo promissionis gratiæ, quæ est Forma Sacramenti.

Totum Integrale partes habet, ipsam essentiam Totius indistinctê constituentes, ita ut unaquælibet aliquid Materiæ, aliquid item Formæ participet. *Vsitatê dicitur Integrum: Partes vero Membra, item Partes Integrantes, partes materiales, partes quantitativæ.* Homo est Totum Integrale: Partes seu Membra eius: Caput, collum, humeri, brachia, pectus, dorsum, venter, pedes. Arbor est Totum: Membra sunt Radix, Truncus, rami.

Quotuplex est *Totum Integrale*?

Duplex, *similare*, vel *Dissimilare*.

Similare est, cuius singulæ partes idem nomen, naturam ac definitionem habent cum Toto, *quod ideo dicitur Homogeneum*, *uti & Partes Homogeneæ.* Talia Tota sunt Lapides, Metalla, Aqua, Vinum, Sanguis, lignum &c.

Dissimilare est, cuius partes singulæ naturam, nomen & definitionem habent a Toto diversam, *quod ideo dicitur Heterogeneum, sicut* Partes *Heterogeneæ.* Talia Tota sunt Corpus humanum, Arbor, Mundus &c.

Ex Partib. Dissimilaribus aliæ sunt principales, sine quibus Totũ nullo modo cõsistere potest, ut

ut in Animali Caput, Cor, ventriculus: *in Arbore* radix: *in AEdificio, fundamentum, parietes, tectum: aliæ minus principales, sine quibus Integrum adhuc consistere potest, ut in Corpore humano*, ungues, pili digiti, manus, pedes, oculus, auris, nasus &c. *in Arbore* folia, rami: *in ædibus* feræ, fenestræ, Tritones, &c.

CAPUT XXVII.

DE DISTRIBUTIONE.

Termini Derivativi præter similitudinem explicandi, quam habent a Primitivis, etiam compositi a Primitivis, sunt Distributio & Definitio.

Recita generalem Regulam de *Distributione*, & *Definitione*?

DISTRIBVTIO neque suo Distributo latior est aut angustior, neque Definitio suo Definito: sed utraque utrique æquê latê patet. *Distributio igitur reciprocatur cum suo Distributo: Definitio cum suo Definito.*

Compositio hæc lõgê differt a Compositione, quæ est altera pars Logicæ, quæque semper affirmatione aut negatione aliquam includit. Hæc enim tan-

Qui[illegible] est *Distributio*?

tum nuda est materia affirmat. aut negat. nuda & simplex cõceptus, non complexus.

Est Totius Distributi in debitas partes diremptio. Notæ eius 1. Nomina pluralia, Partes, membra species, genera, formæ, modi. Item Adjectivum, Alter, ālius. 2. Verba, partiri, tribuere, distribuere, constare partibus, habere partes, species. 3 Particulæ, partim, partim: tum, tum: hinc, illinc: &, &: aut, aut: vel, vel.

Quotuplex est *Distributio?*

Duplex, *Primaria*, & *Secundaria?*

Quid est *Distributio Primaria?*

Est, cuius partes sunt Distributo essentiales, *i. vel causæ essentiales Distributi, vel causata eius essentialia.* Hæc est nobile Principium non tantum intelligendi, sed etiam constituendi rerum ac disciplinarum methodum.

REGULÆ.

I. Distributionis Objectum nullum aliud est, nisi Totũ, quà certis partibus est dividuum. Male igitur Veritas dividitur in Theologicam & Philosophicam. Male AEternitas in eam quæ est a priori, & eam quæ est a posteriori.

II. Partes Distributionis semper oportet consentire cum Toto Distributo: inter sese vero

ro dissentire. Ac quo maior est consensio partium cum Toto Distributo, & earum inter ipsas dissensio: hoc præstantior est Distributio. Distributio e partibus diversis: Res sunt aut singulares, aut Universales. Substantiæ sunt aut Primæ aut Secundæ. *Sed ex Oppositis partibus, & quidem e Contrariis seu Adversis Distributiones sunt omnium frequentissimæ, & longè optimæ, quæ si fuerint Immediata, parient* διχοτομίας, *rotundissimum Distributionis genus.*

E Contradictõibus & Privantibus pars negativa tollit tãtum, & nihil ponit. Disparata semper plura sunt duobus Relata nimis langue dissentiunt. Nulla igitur ex his ad

Talis est Distributio quinque sensuum. Sensus agit aut cominus, Tactus & Gustus: aut eminus, estque vel Nobilior, Visus & Auditus: aut Ignobilior, Olfactus.

Quotuplex est *Distributio Primaria?*

Duplex, *Divisio Generis in Species*, & *Partitio Integri in Membra. Divisio generis in species* est, quâ genus in suas species, *aut specierum formas seu differentias dispescitur:* ut Animal est Homo, et Bestia. Animal est rationale vel irrationale. Corpus est simplex, vel Compositum.

Partitio Integri in Membra est, quâ Integrum in sua Membra dispescitur, ut Corporis Membra sunt tres ventres, summus, medius, infimus. Decalogus dividitur in Tabulam primam & secundam.

Quid

modum idonea sunt ad Distributiones accuratas.

Quid est *Distributio Secundaria?*

Est, cuius partes Distributo non sunt essentiales, *sed vel efficientes, aut fines eius: vel sola materia: vel effecta, Materiata, aut destinata: vel denique subjecta aut Adjuncta, Exempla.* Ius aut est divinum aut humanum. Vasorum domesticorum alia sunt ad honorem, alia ad dedecus. Moneta aut est aurea, aut argentea. Euangelium est, aut odor vitæ ad vitam, aut mortis ad mortem. Ferrum aut suppeditat arma bellica, aut instrumenta togata. Fides confirmatur aut Verbo aut Sacramentis. Febris alia est in spiritibus, alia in humorib. alia in solidâ Substantiâ cordis. Homines alii sunt docti, alii indocti

CAPUT ULTIMUM.

De Definitione.

Quid est *Definitio?*

DEFINITIO est, quâ essentia rei definitæ per terminos notiores explicatur. *Græcè* ὅρος, ὁρισμὸς *Termini notiores sunt, unus convenientiæ Definiti cum rebus aliis, qui dicitur* Genus: *alter Differentiæ Definiti ab omnibus aliis rebus, unde & dicitur* Differentia.

REGV-

REGULÆ.

I. Definitum & Definitio omni ambiguitate careto.

II. Definitio clarior esto suo Definito.

III. In Definitione nihil redundato, nihilo deesto.

Quotuplex est Definitio?

Duplex *Perfecta* & *Imperfecta.*

Quid est *Definitio Perfecta?*

Est, quæ essentiam rei definitæ per terminos tantum essentiales explicat, nempe per Definiti Materiam tamquam Genus, & Formam eius tamquam Differentiam.

REGULÆ.

I. Definitio Perfecta competit tantum rebus quæ directè sunt in Prædicamento, atque adeò Speciebus propriè sic dictis.

II. Eadem explicat Definitum per terminos tantũ naturâ notiores. Non attenditur, quid hic aut ille capere possit: sed quid naturâ prius notiusque sit.

III. Sub-

III. Substantiæ definiuntur adhibito ex Arbore Substantiæ, vel potius e Physicâ Genere proximo, & Differentiâ specificâ, quæ sc. Generi invento ab altero latere adhæresçit. ut Homo est animal rationale. Equus est animal hinniens, domabile ad vehendum & trahendum. Heic tamen loco veræ Differentiæ sumuntur adjuncta propria. Hæ sunt Definitiones Essentiales Dn. Philippo sic dictæ.

IV. Accidentia definiuntur per Genus proximum & ea, quæ Differentiæ locum supplent, ut sunt Subjectum proprium cum Caussâ proximâ externâ per & propter quam Accidens datum Subjecto mediatè inest. Sæpe etiam Objecta & Adjuncta, item Materia & fines simul adhibentur

Hinc sunt Definitiones Caussales Dn. Philippi.

V. Substantiæ definiuntur ἁπλῶς i. per seipsas, ita ut nihil earum definitionem ingrediatur, quod non sit Substantia. Accidentia definiuntur ἐκ προσθέσεως, i. cum additamento Subjecti, quod etsi non est de essentiâ Accidentis: tamen accidens secundum esse ab eo dependet.

Exempla Definitionis Accidentium.

Magnitudo est quantitas corporis naturalis, orta ab extensione materiæ. Multitudo est quantitas entis, orta ab

ab entium discretione. Logica est ars directoria mentis in docendo & discendo. Vox est sonus articulatus ad notiones mentis aliis communicandum. Scriptura est certorum characterum expressio, ad cogitata mentis aliis notificandum. Panis est massa ex farinâ & aquâ pista cocta que, ad usum cibarium & confortandum cor hominis. Risibilitas est potentia videndi in homine, orta ab animâ rationali. Color est qualitas corporis misti, orta ex temperie lucidi & opaci. Sensus est cognitio objecti sensilis facta in animali per receptionem speciei sensilis ab organo idoneo, ad animalis salutem. Pater est persona habens filium. Maritus est persona certo consensu juncta uxori, ad procreationem subolis, & vitæ bonorumque societatem.

Quid est *Definitio Imperfecta?*

Est, quæ essentiam rei definitæ per alios, quàm essentiales terminos explicat. *Vulgò Descriptio. Est autem vulgatissimum instrumentum explicandi res singulares & Individua: unde & peculiaria nomina sortitur Prosopographiæ, Zoographiæ, Dendrographiæ, Botanographiæ, Chronographiæ, Geographiæ, Hydrographiæ, Topographiæ, Hypotyposeos, Periphraseos &c.*

Huc pertinent Definitiones partiales et accidentales Philippicæ.

REGULAE.

I. Descriptio alia est cum Genere, alia sine Genere. Exemplum prioris formæ. Homo est animal

nimal visibile, erecto incedens corpore, ad imaginem Dei & societatem politicam conditum. *Posterioris formæ exempla suppeditant passim Poëtæ, Oratores, Historici, in suâ populari docendi ratione.*

II. Descriptionis Objectum propriè sunt res illæ tantum, quæ perfectam Definitionem non admittunt, de quibus supra capite 6. Vnde exempli caussâ, Privationes describuntur per oppositionem sui Habitûs, ut: Tenebræ sunt absentia, carentia, privatio lucis. Cæcitas est destitutio visûs. *Item, Accidentia Concreta, sic describuntur, ut loco Generis ipsum Subjectum collocetur, ut* Scholasticus est persona ordinata voluntate Dei ad discendum doctrinam generi humano necessariam de Deo, & aliis rebus bonis, ad conservationem Ecclesiæ, & cæterorum ordinum vitæ humanæ.

FINIS LIBRI PRIMI.

COM-

COMPENDII LOGICI LIBER SECUNDUS

De Propositione.

CONSPECTVS LIBRI.

- Propositio est vel
  - Categorica, cuius notanda
    - Materia, id est
      - Res, quarum respectu Propositio est
        - Partibus, Subjecto & Prædicato. CAP. I.
        - Forma, in Adfectionibus
          - Singularis, quæ sunt
            - Qualitas: Affirmatio / Negatio — CAP. II.
            - Quantitas: Vniversalitas. / Particularitas / Singularitas. — CAP. III
            - Modalitas Primaria & Secundaria. C. IV. V.
          - Comparatis, quæ sunt
            - AEquipollentia. C. VI.
            - Conversio. C. VII.
            - Oppositio. C. VIII.
        - Primo, Vera vel Falsa, ubi de Veritatis Falsitatisque
          - Normis. C. IX.
          - Gradibus, Necessit. et Cõtingent. C. X.
        - Secundò: Regularis. / Irregularis. — C. XI.
      - Verba, quorum respectu Propositio omnis est Perspicua aut Obscura, C. XII.
  - Composita
    - Copulativa & Conditionalis. C. XIII.
    - Discretiva & Disjunctiva. C. XIV.

CAPUT I.

De Propositionis Categoricæ Partibus.

Apprehensio simplicium integrè pertractata est: sequitur doctrina Compositionis.

Quid est *Compositio?*

EST altera pars Logicæ, de modo Terminos Simplices aptè componendi, ad constituendum opus Logicum. *Compositioni Logicæ communiter accidit Crypsis, quæ a naturali & manifestâ Compositione deflectit, nunc per Defectum partium essentialium: nunc per* Redundantiam: *nunc per* Inversionem *sive* Transpositionem.

Quotuplex est *Compositio Logica?*

Duplex. *Propositio* & *Discursus.*

Quid est *Propositio?*

PROPOSITIO est sententia ex duob. minimum terminis simplicibus beneficio copulæ conflata, quâ aliquid esse indicatur. *Ramo Axioma. Aliis Enunciatum,*

ciatum, Enunciatio, Prædicatio, Attributio, Complexũ, Aristoteli ἀποφανσις Interpretatio Genus Propositionis in se spectatæ est Sententia. Sed Propositio, quâ Metonymicè accipitur pro signo Propositionis animo conceptæ, rectè etiam definitur esse Oratio, sc. linguâ calamove expressa.

Quotuplex est *Propositio?*

Duplex, *Categorica seu Simplex*, & *Hypothetica sive Composita.* Simplex Propositio per se & primariò Propositio est: Composita vero tantum secundariò & in ordine ad simplicem. Ideo natura Propositionis in Specie eius primariâ integrè & perfectè ante omnia considerandæ est.

Quid est *Propositio Categorica?*

Est sententia indicativa, quâ vnum aliquid simpliciter & directè, copulâ verbi de altero affirmatur aut negatur, *Aristoteli ἀποφανσις.* Vt Ignis est elementum. Ignis non est aqua. Cùm igitur Propositio Categ. sit sententia Indicativa: ergo potentiâ tantum & per reductionem Propositiones censendæ sunt sententiæ Vocativæ, Interrogativæ, Optativæ, Suasoriæ, Deprecatoriæ &c.

Quæ sunt considerandæ in *Propositione Categoricâ?*

Duo, Forma eius, & Materia. Ratione *Formæ*, omnis Propositio Categorica suas habet tum *Partes*, tum *Adfectiones*.

Quot sunt *Partes Prop. Categoricæ?*

Duo Termini Simplices aptè copulati, quorum vnus dicitur *Subjectum*: alter *Prædicatum*: uterque conjunctim *Extrema*.

Dualitas ista Terminorum rectè sibi constat, etiam quando Propositio aut quamplurimis constat terminis seu vocibus Grammaticis, *ut*: Quicumque invocaverit nomen Domini salvus erit. Qui bona vina bibit, numquam mala carmina scribit. Nulli electi deficiunt a Deo, ut perseverent & moriantur in impœnitentiâ, & in æternum damnentur. aut tantum unicâ voce Grammaticâ, *ut*: Aiunt i. Homines aiunt. Pluit i. aër pluit &c.

Quid est *Subjectum?*

Est prior pars Propositionis, de quâ sc. aliquid affirmatur, aut negatur. *Aliàs Antecedens, Suppositum*. Exprimitur Nomine Logico, *i. tali voce, quæ rem unicam significat, sine adsignificatione temporis, quæque nullam vim habet copulandi partes Propositionis*. Talia sunt tum Substantiva Grammatica, tum Substantivorum vim habentia, ut Adjectiva neutralia, Pronomina, Verba infinitiva, Adverbia loci & temporis, Periphrases omnivariæ.

Quid est *Prædicatum?*

Est posterior pars Propositionis, id nempe, quod de Subjecto affirmatur aut negatur. *Aliàs Consequens, Attributum, Appositum, Adjectum*. Exprimitur Verbo Logico, *i. tali voce, quæ significat rem cum tempore, quæque simul vim habet copulandi partes Propositionis*. Tria igitur significat Verbum Logicum 1. Rem certam, i. certam actionem aut passionem. 2. Tempus, & inprimis præsens. 3 Copulam Prædicati cum Subjecto. Vt in hac Propositione: Animal sentit: Prædicatum (sentit) significat 1. Sensum. 2. Tempus præsens. 3. Copulam.

Propositio de præterito verificatur per Propositionem de præsente.

Quot modis *Copula* inest Prædicato?

Duobus, Aut implicitè, *quando scilicet Verbum Logicum est etiam Verbum Grammaticum*, ut Terra quiescit. Mare fluctuat. Troia fuit. Antichristus est. Iudicium erit. *Tales Propositiones dicuntur Binariæ, item Propositiones secundi adjecti*: Aut explicitè, *quando Verbum*

EST secundi adjecti est

perfectū Verbum Logicū: sed EST tertii adjecti est tantum Syncategorema.

bum hoc est Nomen aut Participium Grammaticum. Et tunc præmittitur loco copulæ Verbum Substantivum, EST: ut ita nomen conjunctum cum copulâ expressâ, EST, integrum Prædicatum constituat. ut: Homo est animal. Deus est omnipotens. Tales Propositiones dicuntur Ternariæ, item tertii adjecti.

REGULÆ.

I. Neutra pars Propositionis esto ambigua.

II. Subjectum agnoscitur non ex collocationis semper prioritate, sed ex scopo & intentione materiæ præsentis.

III. Prædicatum non sit planè idem cum Subjecto.

IV. Prædicatum semper est universale, numquam singulare, nisi cùm Subjectum quoq; suâ naturâ singulare seu Individuum supponit, ut: Caput Ecclesiæ est solus Christus. Gentium Apostolus est Paullus. Primus Homo est Adam.

CAPUT SECUNDUM.

De Qualitate Propositionis Categoricæ.

Partes

Partes Propositionis Categ. dedimus, sequuntur Adfectiones, quæ sunt Singulariæ *aut* Comparativæ.

Quæ sunt *Adfectiones Singulariæ?*

SUNT, quæ singulis Propositionibus Categoricis citra comparationem unius cum alterâ accidunt, ut sunt, *Qualitas, Quantitas, Modalitas* earum.

Quotuplex est Propositio ratione *Qualitatis?*

Duplex, *Adfirmativa* aut *Negativa*.

Quid est *Propositio Adfirmativa?*

Est, in quâ prædicatum de Subjecto adfirmatur, *ut* Homo est animal. Paries est albus. Cælum movetur, Terra quiescit. *Sic disponuntur omnes Termini consentanei tam Primitivi, quàm Derivativi.*

Adfirmatio prædicati consistit in solius copulæ adfirmatione, etiamsi aliàs ipsi Termini per se sint negativi sive infiniti. Affirmativæ igitur sunt etiam hæ Propositiones: Rei non bonæ consuetudo est res non bona. Non nimium sapere est vera sapientia. Consuetudo est lex non scripta.

Quid

Quid est *Propositio Negativa?*

Est, in quâ prædicatum de Subjecto negatur per particulam negantem, *vel ipsi copulæ immediatè præmissam : vel ita initio Propositionis collocatam, ut non nisi ipsam copulam adficiat. Vt :* Plantæ non sentiunt. Fides non caret operibus. Nullus Cometa est stella. Nulla calamitas est sola. Numquam bella piis, numquam discrimina desunt.

Si particula negans copulam non adficiat : Propositio manet adfirmativa. ut sunt hæ : Nihil est sub Lunâ, nisi caducum. Substantia non producitur, nisi a Substantiâ. *Æquipollent enim his :* Omne quod est sub Lunâ, est caducum. Omnis Substantia quæ producitur, a Substantiâ producitur. Sic differunt hæ Propositiones : Adam potuit non labi, &c. : Adam non potuit labi. Prior est affirmata vera, posterior negat. falsa.

CAPUT TERTIUM.

De Quantitate Propositionis Categoricæ.

Quotuplex est Propositio ratione *Quantitatis?*

Triplex. *Universalis, Particularis & Singularis.*

Quid est Propositio *Universalis?*

EST, in quâ prædicatum dicitur de Subjecto communi universaliter sumpto, ac proinde signum universale habente, ut : Omnes stellæ sunt lucidæ. Nulla stella consumitur.

Signa Universalia affirmantia sunt : Omnis, Quicunque, Quisquis, Vniversi, Cuncti, Vnusquisque, Quotquot, Nullus=non, Nemo non, Totus, Semper, Vbique

Signa Universalia negativa sunt : Nullus, nemo, non ullus, ne unus quidem, nihil, numquam, nusquam, nullâ tenus. &c.

Vniversaliter sumpto, i. ut prædicatum omnibus speciebus seu individuis Subjecto substratis competere intelligatur.

Quid est Propositio *Particularis?*

Est, in quâ prædicatum dicitur de Subjecto communi particulariter sumpto, ac proinde signum particulare habente. *Talia signa sunt :* Quidam, aliqui, nonnulli, rari, plærique, multi, pauci, non omnes, non quivis, non quilibet, ex parte, non semper, interdum, aliquando, plærumque, ferè, sæpe &c. ut : Multi sunt vocati. Non semper violæ, non semper lilia florent.

Particulariter sumpto i. ut prædicatum non omnibus speciebus seu individuis subjecto substratis, sed aliquibus

REGULÆ.

I. Propositio Subjecto communi constans, si signo careat, usitatè dicitur Indefinita, ut : Homo

tantum competat aliquibus vero nõ

Homo est mortalis. Homo est litteratus. Homo nõn est brutum.

II. Indefinita, ratione materiæ enunciatæ, sẽper æquipollet aut universali aut particulari. Vniversali, *quando Prædicatum est subjecti genus, aut differentia, aut adjunctum proprium, aut definitio, aut divisio, aut oppositum.* Particulari, *quando prædicatum aliter se habet ad Subjectum.*

Quid est Propositio *Singularis?*

Est, cuius Subjectum est singulare, seu certum individuum, ut: Marcus Cicero est Consul Romanus. Verbum erat in principio. Quidam Apostolus ter abnegavit Christum. Aliquis homo est Salvator mundi. Vnus homo nobis cunctando restituit rem.

CAPUT QUARTUM.

De Propositione Modali, primi generis.

Quotuplex est Propositio *Modalis?*

Duplex, *Primi* & *Secundi* generis.

Quid est Modalis *primi generis?*

Est,

EST, in quâ dispositio prædicati cũ subjecto adficitur aliquo istorum quatuor sollemnium modorum, Necesse, Impossibile, Cõtingens, Possibile. *Non statim est Modalis Propositio, in quâ forte occurrit horum quatuor terminorum aliquis: sed tum demum, quando hi termini ipsam copulam & mutuam dispositionem Subjecti & prædicati internè modificant, indicantes sc. quo sensu prædicatum Subjecto attribuatur. Non igitur sunt Modales hæ Propositiones:* Quæ necessario fiunt, *sunt immutabilia.* Vnũ est necessarium. *Sed istæ:* Necesse est, hominem esse animal. Deum esse auctorem peccati, est impossibile. Possibile est, juvenem mori. Contingens fuit, Adamum labi. &c.

Quot sunt *partes* Modalis Propositionis?

Duæ. Dictum, *i. integra Propositio sine modo spectata:* & Modus, *i. ipsa ratio prædicati ad subjectum, uno istorum quatuor modorum determinata.* Vt in hac Propositione: Impossibile est, electos seduci. Dictum est, Electi seducuntur. Modus, Impossibile: quo indicatur prædicatum (Seduci) ita abhorrere a Subjecto, (Electis) ut impossibile sit illud de hoc adfirmari. Cetera

Cetera de Modalibus & captum tyronum excedunt: & usûs tam sunt exigui: ut præstet ea ignorare, quàm cum defatigatione ingenii anxiè scrutari.

CAPUT QUINTUM.

De Propositione Modali secundi generis.

Quotuplex est *Modalis secundaria?*

Triplex, *Exclusiva, Exceptiva, & Distinctiva.*

Quid est *Exclusiva?*

EXCLVSIVA est, quæ informatur particulis, alias omnes res, quæ non sunt de naturâ Subjecti aut Prædicati, excludentibus, *ut sunt: solum, tantum, duntaxat, unicè, non nisi, nemo præter hunc &c. Exclusivæ Subjecti:* Solus Deus est omniscius. Sola fides justificat. Solus homo ratiocinatur. *Exclusivæ Prædicati:* Elementa sunt tantum quatuor. Bruta animalia tantum sentiunt. Carthusiani edunt tantum pisces &c.

Quid

Quid est *Exceptiva?*

EXCEPTIVA est, quæ informatur particulis aliquid de vniversalitate Subjecti detrahentibus, *ut sunt: præter, præterquam, nisi, excepto hoc, illo &c. Vt* Omne mobile præter cælum, est corruptibile. Omnes homines, excepto Christo, sunt peccatores.

Quid est *Distinctiva?*

DISTINCTIVA est, quæ informatur particulis distinctivis, ostendentibus, quousque & quo respectu prædicatum Subjecto conveniat, vel non conveniat. *Tales sunt, quà, quatenus, secundum hoc, hoc respectu, intuitu, ratione, modo, conditione &c.* Aliàs *Propositio Limitata, Restrictiva, Reduplicativa.*

Particulæ igitur Distinctivæ semper sunt Signa connexionis prædicati cum Subjecto, nũc Absolutæ, *ut:* Deus est per se est Ens. Homo suâ naturâ est animal. Homo, quà homo est disciplinæ capax. Ignis quà ignis, est calidus. Terra per se est moles longè maxima: nunc Respectivæ & Limitatæ: ut: Passio Christi fuit necessaria, respectu causæ primæ. Eadem passio fuit contingens, respectu causarum secundarum. *Signa connexionis respectivæ*

semper limitant prædicatum ad Subjectũ respectu certæ causſæ, causſati, subjecti, adjuncti generis, partis, sensus comparati proprii aut tropici. &c.

darum. Maledictio Simei in Davidem fuit justa, respectu Dei, Davidem sic paternè castigantis. Eadem maledictio fuit injusta, respectu Simei maledicentis. Homo est pulvis respectu materiæ. Panis est corpus Christi, respectu finis qui est, esse tum Sacramentum, tum medium exhibitivum corporis Christi pro nobis traditi in usu legitimo. Isaac est pater, respectu effectorum Esaui & Iacobi. Isaac est filius, respectu causſæ efficientis Abrahami. Fides justificat ratione objecti, non ratione subjecti. Ignis urit, ratione caloris. Ignis lucet, ratione lucis. Homo est quantus, quà est corpus: Homo nutritur, quà est corpus vivum: Homo sentit, quà est animal. Homo est immortalis, quoad animam. Homo est mortalis, quoad corpus. Terra est instar puncti, nempe sensu comparato ad cælum. Corpus Christi est in cruce fractum sensu sc. metaphorico, id est, vulneratum. Corpus Christi non est fractum, sensu proprio. &c.

REGULÆ.

I. Prædicatum Subjecto simpliciter oppositum nullâ distinctione eidem cõciliatur. Homo nullo respectu est bestia propriè dicta. Virtus nullo respectu est vicium propriè dictum.

II. Respectus limitans prædicatum necesse est Subjecto aliquâ ratione competat.

III. Respectus limitans prædicatum non planè sit idem cum prædicato.

CAPUT

CAPUT SEXTUM.

De Æquipollentiâ Propositionum.

Hactenus Adfectiones Singulariæ: Comparatæ sequuntur. Æquipollentia, Conversio & Oppositio.

Quid est *Æquipollentia* Propositionum?

ÆQVIPOLLENTIA est duarum pluriumve Propositionum, verbis discrepantium, sensualis convenientia. *Græcè ἰσοδυναμία.*

Usus huius doctrinæ est, ut sciatur, quæ Propositio cui verè sit opposita, & cui non sit opposita, ut ita judicium veri & falsi tanto certius sibi constet.

In quibusnam consistit *Æquipollentia* Propositionum?

In duobus, partim in *Signis Quantitatis æquipollentibus*: partim in terminis realibus *idem significantibus. Usus & significatio vocum Grammatica utrumque nobis facile*

cile patefacit. Signa æquipollentia universalia sunt: *Omnis, nullus non, nemo non, ut:* Omnis homo est animal. Item. *Nullus, nemo, non aliquis, ne vnus quidem, ut* Nullus homo est lapis. Nemo hominum est lapis. Ne unus quidem homo est lapis. Signa æquipollentia particularia sūt: *quidam, aliquis, non nemo, nonnullus, non omnis, non quivis &c. ut:* Quædam stellæ sunt maiores terrâ. Nonnullæ stellæ sunt maiores terrâ. &c.

REGULA.

Inter Æquipollentes una semper est evidentior & nervosior alterâ. Æquipollentes sunt: Herodes est astutus. Herodes est vulpes. *Sed posterior est multo nervosior. Æquipollentes etiam sunt:* Christus est Deus. Deus erat in Christo. *Sed prior est evidentior & nervosior.*

CAPUT SEPTIMUM.

De Conversione Propositionum.

Quid est *Conversio* Propositionum?

CON-

CONVERSIO est duarum Propositionum talis permutatio, ut prioris Subjectum fiat posterioris Prædicatum, & prioris Prædicatum, posterioris Subjectum, salvâ interim utriusque Propositionis veritate.

Prior Propositio, quæ per alteram immutatur, dicitur Conversa: posterior, quæ priorem immutat dicitur Convertens.

Usus huius doctrinæ est in Reductione Syllogismorum secundæ & tertiæ Figuræ ad primam.

Quotuplex est *Conversio?*

Triplex, *Conversio Simplex, Conversio per accidens, & Conversio per contrapositionem.*

Quid est *Conversio Simplex?*

Est vel universalis negativæ, vel particularis affirmativæ simplex permutatio, retentâ eâdem & Qualitate & Quantitate, *ut:*

Nulla stella consumitur. Conversa.
Nihil quod consumitur, est stella. Convertens.
Quidam infideles foris sanctè viuunt. Conversa.
Quidam foris sanctè viventes sunt infideles.

Etiam Vniversalis affirmativa simpliciter convertitur, si constat terminis reciprocis, ut:

Omnis homo est doctrinæ capax. Omn animal doctrinæ capax est homo.

Quid est *Conversio per accidens?*

Est universalis affirmativæ talis permutatio, ut simul migret in particularem, ut: Omnis homo est substantia. Quædam substantia est homo.

Si tamen prædicatum non sit latius Subjecto, sed ei adæquatum. tunc Conversio per accidens locum non habet, ut: Omnis homo est risibilis. Quoddam risibile est homo. *Hæc enim particularis æquipollet isti palàm falsæ:* Quoddam risibile non est homo.

Quid est *Conversio per Contrapositionem?*

Est universalis adfirmativæ talis permutatio, ut & Convertentis Subjecto addatur particula negans, & tota Convertens fiat universalis negativa, ut:

Omnes verè credentes salvantur.
Quicumque non salvantur non sunt vere credentes.
Omnis homo est animal.
Quidquid non est animal, non est homo.

CAPUT

CAPUT OCTAVUM.

De Oppositione Propositionum.

Quid est *Oppositio* Propositionum?

OPPOSITIO est Propositionis adfirmativæ & negativæ, eadem planè extrema eodem modo utrobique intellecta habentis, repugnantia, *Usus eius est in Reductione Syllogismorum indirectâ, item in Syllogismis per impossibile.*

Tres conditiones sunt veræ Oppositionis. I. *Propositio una sit affirmativa, altera negativa.* Non sunt igitur Oppositæ: Socrates est albus. Socrates est niger. II. *Propositio utraque habeat eadem extrema.* Hinc non pugnant istæ: Omnis homo est mortalis. Quidam homo non est dives. III. *In utrâque Propositione utrumque extremum intelligatur eodem prorsus modo, nempe secundum idem, ad idem, & eodem tempore. Hinc non pugnant istæ:* Christus fuit ante Abraham. Christus non fuit ante Abraham: *quia non intelliguntur secundum eamdem naturam: Sic nec istæ:* Sol obscuratur. Sol non obscuratur: *quia non intelliguntur ad idem, i. respectu unius & eiusdem*

objecti. Sol obscuratur, respectu nostri: non obscuratur, respectu ipsius Solis. Denique nec istæ pugnant: Christus jussit discipulos ire prædicatum per totum orbem. Christus non jussit d. i. p. p. t. o. *quia non intelliguntur de eodem tempore. Prior vera est de tempore passionem consequente: posterior vera est de tempore passionem antecedente.*

REGULA.

Impossibile est duas Oppositas esse simul veras, etsi sæpe possint esse simul falsæ.

Quotuplex est Oppositio Propositionum?

Duplex, *Contradictio & Contrarietas.*

Quid est *Contradictio?*

Contradictio est oppositio duarum Propositionum hostilissima & immediata, quâ semper verum a falso dividitur. *i. semper una Propositio est vera, altera falsa.* Est quæ *Primaria*, aut *Secundaria*.

Primaria, *ut inter universalem affirmantem & particularem negantem, materiæ necessariæ*

cessariæ aut contingentis, ut: Omnis homo est animal. Quidam homo non est animal. Item, *inter universalem negantem & particularem affirmantem, materiæ impossibilis aut contingentis, ut:* Nullus homo est lapis. Quidam homo est lapis. Nullus homo est doctus. Quidam homo est doctus.

Secundaria, *ut inter duas singulares*, Roscius occidit patrem. Roscius non occidit patrem. Item, *inter duas Indefinitas, materiæ necessariæ, ut:* Homo est animal rationale. Homo non est animal rationale. Item, *inter duas universales, in materiâ necessariâ, & impossibili, ut:* Omnes credentes salvantur. Nulli credentes salvantur. Omnis homo est quadrupes. Nullus homo est quadrupes.

Quid est *Contrarietas?*

Contrarietas est oppositio duarum universalium materiæ contingentis, ut: Omnis homo est doctus. Nullus homo est doctus. Omnes divites damnantur. Nulli divites damnantur.

Duæ Contrariæ semper sunt mediatæ, *i. habent mediam Propositionẽ, quæ sit vera, ut:* Quidam homo est doctus. Quidam divites salvantur: *sunt mediatæ particulares veræ, interpositæ binis Cõtrariis universalibus falsis.*

CAPUT NONUM.

De Propositione Verâ & Falsâ, deque Normis Certitudinis.

Hactenus considerata est Propositio quoad formam: sequitur consideratio eiusdem, quoad materiam: quæ sunt res, *aut* verba. *Respectu rerum Propositio Categorica est primo* Vera *aut* Falsa: *deinde* Regularis *aut* Irregularis.

Quid est Propositio *Vera*?

PROPOSITIO vera est sententia cum re consentiens, ut: *Cælum semper movetur. Canis est animal.*

Quid est Propositio Falsa?

Propositio falsa est sententia a re dissentiens, ut: *Mundi sunt plures. Homo est leo.*

Ceterum consensio aut dissensio Propositionis a rebus extra mentem positis æstimatur per Normas Certitudinis, *vel* Naturales, *ut sunt*

sunt Principia congenita & Experientia universalis, vel Supernaturalem.

Quid sunt *Principia congenita*?

Sunt certæ & immotæ regulæ, omnib. sanis hominibus naturâ insitæ, & per se notæ, per quas primo rem quamvis cum mentis discursu intelligimus, & in quas omnis discursus mentis ultimò resolvitur. *Suntque partim* Theorica, ut: *Quodlibet est, aut non est. Omne totum est maius sua quavis parte. Bis quatuor sunt octo: partim* Practica, ut: *Deus est colendus. Nemo est lædendus. Ius cuique suum est tribuendum. Beatitudo est expetenda.*

Quid est *Experientia Universalis*?

Est certa conclusio omnium sanorum hominum, nata ex observatione exemplorum singularium, semper & ubique eodem modo se habentium. *Tales sunt hæ sententiæ: Ignis est calidus. Femina parere potest. Vita non est mors. Vita animalis constat sensu & motu. Vinum & piper habent vim calefaciendi.*

Quid est *Norma Supernaturalis*?

Est, quam non natura suppeditat, sed gratia divina revelat. Vnde & *Patefactio divina* dicitur.

Est que partim Externa, *ut Scriptura Canonica: partim* Interna, *ut testimonium internum Spiritus sancti in cordibus nostris, convincentis nos de veritate divinâ. Vtraque tamen objecto planè una est & eadem. Nihil dictat foris Scriptura, nisi quod Spiritus sanctus intus cordi confirmat, & contra.*

CAPUT DECIMUM.

De Propositione Necessario aut Contingenter Verâ aut Falsâ.

Quid est Propositio *Necessariò-Vera?*

EST, quæ sic vera est, ut numquam possit esse falsa. *Terminos igitur necessariæ consensionis disponit affirmatè: terminos necessariæ dissensionis disponit negatè, ut:* Homo est animal. Homo non est lapis.

Adfirmativa Necessario-vera tres gradus habet: κατὰ παντὸς, καθ' αὑτο, & καθόλου πρῶτον.

Quid

Quid est Propositio κατὰ παντός.

Triplex hoc requiritur universalitas 1. Subjecti 2. Temporis 3. Loci.

Est cuius prædicatum affirmatur de toto Subjecto, semper & ubique, ut: Homo est mortalis. Homo est peccator. *Non autem sunt* κατὰ παντός: Omnes arbores florent. Omnes dies septimanæ fuerunt serem: *quia deest universalitas temporis & loci.*

Quid est Propositio καθ' αὑτό.

Est, cuius prædicatum est de essentiâ Subjecti, unde & Propositio essentialis dicitur. Estque *duorum modorum.*

Primus est, quando prædicatum constituit ipsam essentiam ac definitionem Subjecti, ut: Homo est animal. Homo est rationalis. Cicero est homo. Homo est animal rationale. Homo constat corpore & animâ. Animal est homo vel bestia.

Secundus modus est, quando prædicatum essentiam Subjecti aliunde constitutam necessariò consequitur, ita ut non nisi per Subjectum definiri possit, ut: Homo est risibilis. Homo est doctrinæ capax. Deus est. Angeli sunt. Ignis urit. Sol calefacit. Luna humectat.

Quid est Propositio καθόλου πρώτη?

Est, cuius prædicatum & toti Subjecto & per se & primò competit, ac proinde cum Subjecto reciprocatur. *Propositiones hæ sunt perfectissimæ, & summæ necessitatis, quâ maior nulla dari in enunciando potest. Duo heic requiruntur 1. Vt prædicatum a toto Subjecto exhauriatur, eoque nec latius sit, nec angustius. 2. Vt Subjectum sit immediatè primum dato prædicato. Propositiones igitur catholicæ sunt:* Homo est risibilis. Lupus est aptus ad ululandum. Omnes fideles sunt electi. *Contra non sunt catholicæ:* Homo est animal. Homo est doctus. Homo est sensu præditus, &c.

Quid est Propositio *Contingenter-Vera?*

Est, quæ sic vera est, vt aliquando possit vel potuerit esse falsa. *Materia talium Propositionum sunt termini mutabiliter tantum & inconstanter consentientes aut dissentientes, ut:* Ludens aleâ vincit. Ludens aleâ non vincit. Socrates sedet. Fortes creantur fortibus & bonis. Arator invenit thesaurum in agro &c.

Quid est Propositio *Necessario-Falsa?*

Est,

Est, quæ sic falsa est, ut numquam possit esse vera. Aliàs *Impossibilis. In hac termini necessariæ consensionis disponuntur negativè, ut:* Homo non est animal. Homo non est risibilis. *At termini necessariæ dissensionis componuntur affirmativè, ut:* Homo est lapis. Virtus est vicium. Deus est auctor peccati.

Quid est Propositio *Contingenter Falsa?*

Est, quæ sic falsa est, ut tamen possit vel saltem potuerit esse vera, ut: Pompeius vicit Iulium. Paris non rapuit Helenam. Fratres non vendiderunt Ioſephum in AEgyptum.

CAPUT UNDECIMUM.

De Propositione Regulari & Irregulari.

Quid est Propositio *Regularis?*

REGVLARIS Propositio est, in quâ termini secundum debitam ad se invicem adfectionem ritè disponuntur. Aliis Propositio *Propria, Canonica, Ordinata,*

nata, Directa, Naturalis. Regularis igitur Propositio caussaliter adfecta non nisi caussaliter enunciat: essentialiter adfecta, essentialiter: accidentaliter adfecta, accidentaliter: sic partitionis membra exprimit copulatê, membra divisionis disjunctê &c.

Quotuplex est Regularis Propositio?

Duplex, *Synonyma*, aut *Paronyma*.

Quid est Regularis *Synonyma*?

Est, cuius prædicatum, (*quod semper est aut genus, aut species, aut definitio Subjecti*) in casu recto per copulam EST attribuitur Subjecto, ut: Homo est animal. Petrus est homo. Homo est animal rationale. Filius Dei est homo. Filius hominis est verus Deus. Hic Deus est homo. Hic homo est Deus.

REGULA.

Quidquid competit Synonymico prædicato reali, cõpetit etiam eius Subjecto.

Homo est animal, est Propositio Synonyma. Homini igitur competunt: esse substantiam, esse corpus vivum, sentiens

tiens, appetens, ambulans, mortale, &c. quia hæc omnia Animali, quod de Homine prædicatur, competunt.

Quid est Propositio *Paronyma*?

Est, cuius prædicatum est paronymum, *alius quicumque terminus præter genus, speciem aut definitionem, utpote, vel differentia, vel accidens quodcumque ipsius Subjecti, cui etiam concretê attribuitur, ut*: Homo est creatura Dei. Homo est rationalis. Homo est corporeus. Deus creavit cælum & terram. Vinum est in dolio. Paries est albus. Homo dicitur ab humo. Homo est instar bullæ. Homo est bipes. Homo constat corpore & animâ. Animal est homo vel bestia. Somnus est imago mortis. Filius Dei est natus ex semine Dauid. Dominus gloriæ crucifixus est. Filius hominis remittit peccata, fuit antequam esset Abraham. &c.

Quid est Propositio *Irregularis*?

Est, in quâ termini contra debitam ad sese invicem adfectionem copulantur. *Aliàs Propositio Impropria, Anomala, Indirecta, Inordinata, Non-naturalis, ut*: Gladius est ferrum. Scyphus est argentum. Vlna est lignum. Panis est frumentum. Ferrum urit. Vinum est calidum &c.

REGULÆ.

I. Irre-

I. Irregularis Propositio quâdamtenus falsa est, *nempe simpliciter, prout sonat, intellecta:* quadamtenus vera, *nempe, si ad Regularem est reducibilis. i. si potest ostendi modus aliquis idoneus, quo irregularis prædicati & subjecti conjunctio excusetur.*

II. Irregularis & Tropica Propositio non sunt prorsus idem, sed respectibus differunt. Irregularis *Propositio aliqua judicatur, qratenus prædicati quidem significationem genuinam retinet, sed interim tamen debitam eius adfectionem ad Subjectum non observat.* Tropica *vero, quatenus nativam significationem prædicati mutat retentâ interim debitâ adfectione eius ad Subjectum.*

Vt hec Propositio: Herodes est vulpes, est irregularis, quatenus dati termini, Herodes & vulpes, proprié intellecti, non ita enunciantur, sicut ad se invicem adfecti sunt. Nam adfecti sunt invicem sicut unum simile ad alterum, ac proinde enunciari debebant paronymicè. Sed enunciantur quasi essent synonyma. Falsa igitur est hæc Propositio simpliciter, ut sonat, intellecta. Contrà vera est sic explicata: Herodes est similis vulpi, vel, Herodes est æquè astutus atque vulpes. Rursus eadem Propositio etiam est Tropica, quatenus prædicatum capitur Metaphoricè, pro eo, qui similis est vulpi in astutiâ. Et hoc

hoc sensu ista Propositio Logicè est Regularis: at Rhetoricè Tropica.

III. Irregularis Propositio tribuit Subjecto prædicatum συνωνύμως. *i. per se simpliciter & absolutè*, cùm tamen ei tantum competat παρωνύμως *i. secundum quid, quadamtenus, secundum quemdam modū, ut:* Magistratus sunt Dii. Psal. 82. sc. non simpliciter, sed secundum quid. i. ratione caussæ ordinantis, ratione finis & adjunctæ dignitatis. Zoilus est vicium sc. non per se, sed ratione adjunctorum extremè vitiosorum.

CAPUT DUODECIMUM.

De Propositione Perspicuâ & Obscurâ.

Materia Propositionum realis hactenus talis fuit: sequitur adfectio Propositionum ratione materiæ verbalis, quo respectu Propositio est Perspicua *aut* Obscura.

Quid est Propositio *Perspicua?*

EST, cuius intelligentia per se manifesta est, ut: *Solus Deus est adorandus. Mundus non est ab æterno.* Quid

Quid est Propositio *Obscura?*

Est, cuius intelligentia adeo est perplexa, ut interpretatione opus habeat. *Scholasticis*, *Propositio Exponibilis.*

Causæ Obscuritatis sunt aut Insolētia vocum. *i. voces antiquatæ aut novatæ: aut* Ignoratio sensūs vocum, *ob linguæ, phraseos, argumenti, scopi aut contextūs neglectum.*

REGULÆ.

I. Propositio Obscura referenda est ad sedem suæ disciplinæ, ut sc. ex eius principiis æstimetur.

II. Scopi auctoris consideratio multum potest ad Propositiones Obscuras illustrandum.

III. Collatio antecedentium & consequentium dati contextūs, item locorum similium illius ipsius aut alterius auctoris idem præstat.

IV. Obscuritas Subjecti discutitur perspicuitate Prædicati, & contrà.

V. Cognitio necessaria linguarum & ratio phrasium & genii dictionis obscuris lucem feneratur.

VI. Docti

VI. Docti Interpretes ad declarandas Propositiones Obscuras salutariter quoque adhibentur.

CAPUT TREDECIMUM.

De Propositione Copulativâ & Conditionali.

Hucusque de Propositione Categoricâ, sequitur de Compositâ.

Quid est *Propositio Compositâ?*

EST sententia ex duabus minimùm Categoricis per copulam Conjunctionis conflata. *Vulgò Hypothetica per Synecdochen speciei*, quia præcipua Species, nempe Conditionalis, propriè dici potest Hypothetica.

Oppositio Compositarum fit per negationem Conjunctioni præpositam, estque semper contradictoria.

Propositio Composita est vel
- Congregans, quæ consentanea enunciat affirmatè, dissentanea negatè
  - Copulativa.
  - Conditionalis.
- Segregans, quâ tantum dissentanea enunciantur
  - Disretiva.
  - Disjunctiva.

Quid est *Copulativa?*

COPVLATIVA est, quâ duæ pluresve Categoricæ conjunctione copulativâ junguntur, *ad indicandum omnes partes simul conjunctim esse veras.*

Conjunctiones Copulativæ sunt aut Grammaticæ illæ: aut particulæ Æquipollentes, ut Comparativæ, Relativæ loci & finales, ut: Christus est verus DEVS & verus homo. Renati & placent DEO & sæpe adhuc peccant. Qualis rex talis grex. Non minor est virtus quàm quærere, parta tueri. Vbi est cadaver, ibi congregabuntur aquilæ. Tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant.

Quomodo *contradicitur* Copulativæ?

Per *negationem* conjunctionis copulativæ, vel etiam per *Discretivam*, quâ scilicet, una pars conceditur, altera rejicitur, Vt:

Sinon est & miser & mendax.
Sinon non & miser est & mendax. Vel
Etsi Sinon est miser, tamen non est mendax.

Quid est *Conditionalis?*

CONDITIONALIS est, quâ Categoricæ

goricæ junguntur Conjunctione conditionali, *quæ totam ejus veritatem à conditione partis antecedentis suspendit. Aliàs Hypothetica. Ramo ex Cicerone Connexa:*

Conjunctiones Conditionales sunt. 1. Grammaticæ illæ, ut: Si DEVS pro nobis quis contra nos? Sincerum est nisi vas, quodcunq; infundis, acescit. 2. *Adverbia Relativa temporis, uti & Genitivi consequentiæ, ut:* Magister dum docet, discit. Imperante Carolo quinto facta est repurgatio Ecclesiarum.

Quot sunt *partes* Conditionalis?

Duæ, *Antecedens*, quæ præsupponit conditionem, & *Consequens*, quæ infert sententiam aliam, ex præsuppositâ conditione consequentem.

Quotuplex est Conditionalis?

Triplex. 1. Necessaria *in quâ consequens necessario sequitur ad positam Antecedentẽ, ut:* Si ignis est, urit. Si asinus volat, habet pennas. Si Iudas est salvatus egit salutarem pœnitentiam. Si gratis justificamur, non ex ò ex operibus. 2. *Contingens, in quâ consequens contingenter tantum sequitur ad positam antecedentem, ut:* Si pallet, amat. Si

bene bibit, bene dormit. Si est Academicus: erit aptus ad institutionem juventutis 3. **Impossibilis**, *in qua impossibile est, sequi consequens ad positam Antecedentem, ut*: Si est homo, est immortalis. Si verè credit, damnabitur. Si est gallina, est animal quadrupes, &c.

Quomodo *contradicitur* Conditionali?

Duobus modis: aut Negatione consequentiæ, ut: Si malè nunc: & olim sic erit. Horatius sic contradicit: Non si male nunc, & olim sic erit: aut **Inversione**, *id est affirmatione consequentiæ contrarii, ut*: Si pater castigat filium, odit eum. Si pater castigat filium, amat eum. Si bona opera non justificant, sunt omittenda. Si bona opera non justificant, tanto magis sunt facienda.

Pars Contradictionis affirmata hoc vult, si sit Antecedens, esse etiam Consequens: pars negata contendit, etsi sit Antecedens, tamen non esse Consequens.

CAPUT XIV.

De Propositione Discretivâ & Disjunctivâ.

Quid

Quid est *Discretiva*?

DISCRETIVA est, quâ Categoricæ junguntur conjunctione Discretivâ, *ad ostendendum aliquam earum discretionem sive diversitatem. Conjunctiones Discretivæ sunt*: *Non hoc, sed illud: hoc quidem, sed non illud, ut*: Non formosus erat, sed erat facundus Vlysses. Euclio est quidem dives, sed non liberalis. Item, *etsi, quanquam, quamvis, quamlibet, licet &c: quibus ex adverso respondet: tamen, attamen, ut*: Etsi abest à culpâ, tamen à suspicione non abest.

REGULA.

I. Propria materies Discretivæ sunt Diversa, aut etiam Opposita, quando in Diversa degenerant.

II. In Discretivâ pro naturâ Diversorum in illâ dispositorum, nunc affirmatur discretio, per particulam negantẽ, ad ostendendũ terminos, etsi aliàs consentaneos, hoc dissentire, ut: Sinon est miser, sed non mendax: *nunc discretio negatur omissâ particulâ negante, ad ostendendum terminos dispositos, etsi aliàs dissentiant,*

hvic tamen consentire, ut: Etsi Christus est verus DEVS; tamen etiam est verus homo. Etsi Abraham fuit dives, tamen etiam fuit pius.

III. Ex terminis merè consentaneis & nullo modo diversis inepta ac falsa fit Discretiva, ut: Etsi Cicero est bonus Orator, tamen est homo.

Quomodo *contradicitur* Discretivæ?

Si Discretio affirmatur, contradictio fit per *Copulativam, ut:* Sinon est miser, sed non mendax: Sinon est & miser & mendax. Contra si Discretio negatur, contradictio fit per NON, ut: Etsi Abraham fuit dives, tamen etiam fuit pius: Non etsi Abraham fuit dives, tamen etiam fuit pius.

Quid est *Disjunctiva*?

DISJVNCTIVA est, quâ Categoricæ aliquot junguntur conjunctione Disjunctivâ, *ad indicandum tantùm unam totius Disjunctivæ partem esse veram, numquam plures. Scholasticis Alternativa. Conjunctiones Disjunctivæ sunt AVT, vel, sive, seu, an, ut:* Aut dies est aut nox. Aut fide justificamur, aut operibus.

Materia

Materia Disjunctivarum sunt omnia Opposita, inprimis verò immediata.

Quotuplex est Disjunctiva?

Duplex, 1. Necessaria, *in quâ partes sunt Opposita Immediata, ut:* Socrates aut bestia est, aut homo. Plato aut vigilat aut dormit. 2. Contingens, *in quâ partes sunt opposita medium habentia, quod sit verum. Talis est Disjunctiva Leandri apud Ovidium:*

Aut mihi continget felix audacia salvo:
Aut mors solliciti finis amoris erit.

Fruitio amicæ & mors sunt Opposita tantum mediata: Potuisset enim dari tertium, ut captivitas Leandri &c.

Quot modis *contradicitur* Disjunctivæ?

Tribus. 1. Per negationem præpositã, ut: Aut dies est aut nox. Non aut dies est aut nox. 2. Per Discretivam, ut: Etsi non est dies: tamen non statim est nox. 3. Per Copulativam, ut: Neq; dies est neq; nox. Potest enim esse crepusculum.

Sensus contradictionis est: non esse unam tantùm partem veram: sed omnes potius esse falsas, interimq; omissam esse illã partem quæ sit vera.

FINIS LIBRI SECVNDI.

COMPENDII LOGICI LIBER TERTIUS

DE SYLLOGISMO FORMALI.

CONSPECTUS LIBRI.

Definitio & generalis natura. C. I.

Traditur hic Syllogismi Forma, secund. quam syllogismus est

- Perfectus, cuius
  - Communiter
    - Partes
      - Præmissæ.
      - Conclusio.
      - C. II.
    - Adfectiones. C. III.
  - Propriè, Figuræ tres
    - Prima, C. IV
    - Reliquæ duæ, quarum
      - Singularis structura
        - Secundæ. C. V.
        - Tertiæ. C. VI.
      - Communis Reductio ad Primam. C. VII.
- Imperfectus
  - Ostensivus
    - Compositus
      - Conditionalis C. VIII.
      - Disjunctivus. C. IX.
    - Cryptico-Occultationis
      - Simplicis
        - Defectus, ubi de Enthymemate, Inductione, Exemplo. C. X.
        - Redundans / Inversus } C. XI.
      - Multiplicis
        - Sorites. C. XII.
        - Dilemma. C. XIII.
  - Obliquus. Syllogismus per impossibile. C. XIV.

CAPUT PRIMUM.

De Syllogismi definitione, & tribus eius Terminis.

Propositionis doctrinæ satisfecimus, sequitur altera species Compositionis, Discursus.

Quid est *Discursus?*

DISCVRSVS, *Græcè* διάνοια, est dispositio plurium Propositionum, quâ intellectus noster ex unâ aliquâ aut aliam *infert*, aut aliam *ordinat*. *Ille dicitur* Discursus Illativus *sive* Syllogismus: *hic,* Discursus Ordinativus *sive* Methodus.

Quid est *Syllogismus?*

Syllogismus est talis dispositio quæstionis controversæ cum argumento in præmissis, ut his concessis vi ejusdem dispositionis quæstio necessariò concludatur. *Concessis Præmissis necessariò sequitur Conclusio, etsi ipsæ Præmissæ sint falsæ.* Vt ex his Præmissis licet falsis concessis (Omne animal est lapis. Omnis arbor est animal) necessariò sequitur hæc Conclusio Ergò *omnis arbor est lapis.*

Quid

Quid est *Quæstio controversa?*

Est quævis Propositio Categorica, quatenus de ejus veritate aut falsitate controvertitur, *ita ut argumento aliquo probante aut refutante veritas aut falsitas ejus demonstranda sit. Aliàs Problema, Theorema, Thema dubium.*

Subiectum quæstionis controversæ dicitur Minor Terminus: *Prædicatum*, Major Terminus. *Hinc duo semper sunt quæstionis termini.*

Quid est *Argumentum?*

Est tertius Syllogismi terminus, qui adhibetur ad quæstionem controversam vel probandum, vel refutandum. *Vulgò Medius Terminus, Medium concludendi, Medium. Ramo Argumentum Tertium, Argumentum Probans,* Vt sit quæstio. An homo sit animal. Argumentum seu Medius Terminus probans esse potest: Corpus sentiens. Item sit quæstio: An Angeli sint invocandi. Argumentum seu medius terminus refutans esse potest: DEVS, & omnia essentialia DEI attributa.

REGULÆ.

I. In

I. In Syllogismo numquam sint plures termini, numquam pauciores tribus, & iis quidem neutiquam ambiguis.

II. Medius Terminus semper alicujus certi termini Logici relationem habet, tam ad subiectum, quàm prædicatum quæstionis.

III. Medius terminus semper est consentaneus aut cum utroq; quæstionis termino, & tum quæstio affirmatè concluditur: aut cum alterutro tantum: & tum quæstio concludenda est negatè. Numquam autem Medius dissentaneus esse potest, ab utroq; quæstionis termino.

Quotuplex est *Inventio Medii?*

Duplex. *Primaria & Secundaria.*

Primaria est, *quando & Subjecti & Prædicati quæstionis (sive Minoris & Majoris Termini) Causæ, Causata, Subjecta, Adjuncta, Dissentanea, Comparata, Conjugata, Definitio Nominis, Totum, Partes, Distributio, Definitio, secundum præcepta primi libri pervestigantur & conquiruntur.* Vnde & Inventio Artificialis nuncupatur.

Secundaria Inventio est, *quando præter*

ter locos modò enumeratos etiam adsciscuntur Testimonia & Auctoritates extrinsecæ, ad quæstionem probandam aut reprobandã. Vulgo Inventio Inartificialis.

REGULA.

Medii Termini, qui à parte Prædicati investigantur semper haberi solent pro dignioribus. Prædicatum enim quæstionis est extremum principale.

CAPUT SECUNDUM.

De partibus Syllogismi Perfecti.

Huc usque definitio Syllogismi: specialiter vero consideratus Syllogismus est vel Formalis *vel* Materialis.

Quid est *Syllogismus Formalis.*

SYLLOGISMVS Formalis dicitur, quatenus sola forma ejus citra ullum respectum materiæ attenditur. Estq; vel *Perfectus*, vel *Imperfectus.*

Quid

Quid est *Syllogismus Formalis Perfectus?*

Est, in quo sunt duæ Præmissæ ante Conclusionem, quarum in utrâq; medius Terminus, cũ alterutro Quæstionis termino disponitur. *Aliàs Syllogismus Simplex, Categoricus.*

Heic occurrunt Præcepta partim Communia, de Partibus & Affectionibus Syllogismi Perfecti: *partim Propria de* tribus ejus Figuris.

Quot sunt *partes* Syllogismi Perfecti?

Duæ Præmissæ: *Propositio* nempe & *Assumptio* & *Conclusio.*

Quid est *Propositio?*

PROPOSITIO est prior præmissa, in qua medius terminus cum prædicato quæstionis sive majore termino disponitur. *Unde vulgò Maior Propositio: item absolutè Major appellatur.*

Quid est *Assumptio?*

ASSVM-

ASSVMTIO est altera præmissa, in quâ Medius terminus cum subjecto quæstionis sive minore termino disponitur. *Vnde Minor Propositio, item Minor dicitur.*

Medius igitur Terminus semper bis ponitur ante Conclusionem.

Quid est *Conclusio?*

CONCLVSIO est ipsa quæstio controversa, vi & efficaciâ præmissarum legitimè concluſa. *Propositio quæcunq; Quæstio controversa, Conclusio, re unum & idem sunt, & ratione tantum differunt.*

Exemplum.

Omne animal sentit. *Propositio.*
Omnis homo est animal. *Assumptio.*
E. omnis homo sentit. *Conclusio.*

REGULÆ.

I. Medius Terminus numquam ingreditur Conclusionem neq; totaliter neq; ex parte. Medius Terminus non est id quod concluditur, sed cujus vi aliud quid concluditur.

II. Non

II. Non sit plus in Conclusione quàm in Præmissis. Partes quæstionis in præmissis invicem divulsæ rursus in conclusione consociandæ sunt. Hæc igitur consociatio bonâ fide sine ullo peregrino accessorio fieri debet.

CAPUT TERTIUM.

De affectionibus Syllogismi communibus.

Adfectiones Communes Syllogismi septem recenseri solent.

PRIMA.

OMnis bonus Syllogismus congruit ad duo illa Principia Canonica seu Regulativa, nempe ad *Dictum de Omni aut Nullo*, & ad *Principium Proportionis.*

DICTVM *de omni est*, quo quicquid affirmatur de subjecto generali, id ipsum etiam adfirmatur de subjecto speciali, sub generali comprehenso.

DICTVM *de Nullo est*, quo quicquid negatur de subjecto generali, idipsum e-

omne animal est substantia
omnis homo est animal
ergo omnis homo est substantia

tiam negatur de subjecto speciali. *Vt sit Syllogismus:*

Peccatum est à Diabolo.
Mendacium est peccatum.
Ergò mendacium est à Diabolo.

Heic in Propositione de peccato tamquam de Subjecto generali affirmatur (esse à Diabolo.) Ergò id ipsum quoq; in Conclusione affirmatur de mendacio tamquam de subjecto speciali. *Contra in hoc Syllogismo:*

Quod consumitur non est stella.
Cometa consumitur.
Ergò Cometa non est stella.

In Propositione de eo quod consumitur tamquam de Subjecto generali negatur (stella) Ergò in Conclusione idem quoq; negatur de Cometâ, tanquam de Subjecto speciali.

Principium Proportionis hoc est: Quæcunq; in uno aliquo tertio termino conveniunt, illa inter se conveniunt, & contra.

SECUNDA.

Nulla sit ambiguitas in ullo trium terminorum Syllogismi. Vnde non valet consequentia: Vulpes est animal quadrupes. Herodes est vulpes. Ergò Herodes est animal quadrupes.

TERTIA.

TERTIA.

Ex præmissis veris nunquam falsum, sed ex falsis verum formaliter concludi potest, ut: Omnis arbor est ratione præditus. Omnis homo est arbor. Ergò omnis homo est ratione præditus.

QUARTA.

Secundum Qualitatem omnis Syllogismus aut est Affirmativus, *cujus omnes tres Propositiones sunt affirmantes*, aut Negativus, *cujus altera Præmissarum est negativa una cum Conclusione.*

Ex puris igitur Negativis Syllogismus est vitiosus.

QUINTA.

Secundum Quantitatem omnis Syllogismus est Vniversalis, *cujus utraq; præmissa talis est*: Particularis, *cujus una præmissarum est universalis, altera verò aut particularis aut Singularis*: aut deniq; Singularis, *cujus utraq; præmissa est Singularis.*

Ex meris igitur Particularibus Syllogismus est illegitimus.

SEXTA.

Concluſio Syllogismi ſemper correſpondet ſuâ qualitate & quantitate Præmiſſæ indigniori, *videlicet Negativæ aut Particulari.*

SEPTIMA.

Quantitas & Qualitas ſingularum Propoſitionum Syllogismi ſignatur his quatuor vocalibus, A. E. I. O. *juxta vulgatum Diſtichon.*

Adſerit A: negat E. ſed univerſaliter ambæ:
Adſerit I: negat O: ſed particulariter ambæ.

CAPUT QUARTUM.

De Syllogismo primæ Figuræ.

Præcepta communia dedimus: ſequuntur Propria de tribus Figuris.

Quid eſt *Figura?*

FIGVRA eſt conformatio Syllogiſmi, ſecundum diverſam collocationem medii, certos aliquot modos habens

à Qualitate & Quantitate propoſitionum dependentes.

Figuræ tres ſunt: *Prima, Secunda, Tertia. Modi in unâqualibet g Figurâ ſunt vel* Principales, *nempe cum Major ad minimum propoſitio eſt Univerſalis aut Particularis*, vel Minus Principalis, *quando Propoſitiones omnes Syllogismi ſunt Singulares.*

Quid eſt *Prima Figura?*

PRIMA FIGVRA eſt, in quâ medius terminus eſt Subjectum Propoſitionis ſemper univerſalis, & prædicatum Aſſumptionis ſemper affirmativæ. *Hæc eſt omnium perfectiſſima, atq; adeo Regula & menſura reliquarum duarum figurarum 1. Quia proximè fluit à principiis Syllogiſticis naturæ humanæ congenitis, & immediatè congruit cum Dicto de Omni & Nullo.* Semper enim quicquid in Propoſitione prædicatur univerſaliter de medio termino, idipſum quoq; in Concluſione de Minore termino (qui ſemper includitur in Medio tanquam ſpecies in ſuo genere) prædicari neceſſe eſt. *2. Quia Medius terminus in ſolâ hac figurâ perfectè & ſuâ naturali poſitione medius eſt inter duos ter-*

minos quæstionis, nempe angustior prædicato quæstionis, & latior ejus subjecto. 3. Quia in solâ hac figurâ omnis generis quæstiones controversæ concludi possunt.

Quot sunt *Modi principales* Primæ Figuræ?

Quatuor. Duo Vniversales & duo Particulares: quorum utrobiq; *unus* est *Affirmativus, alter Negativus, juxta hunc versiculum.*

Barbara, Celarent, primæ, Darii, Ferioque.

Syllogismus igitur in { *Barbara* } *est* { *Affirmativus universalis.* }
{ *Celarent* } { *Negativus universalis.* }
{ *Darii* } { *Affirmativus particularis.* }
{ *Ferio* } { *Negativus particularis.* }

BArb Omne animal est substantia.
Ar Omnis homo est animal.
A Ergo omnis homo est substantia

CEl Nullum animal est lapis.
Ar Omnis homo est animal.
Ent Ergò nullus homo est lapis.

DAr Omnis turpitudo est fugienda.
I Quædam voluptas est turpitudo.
Ergò

I Ergò quædam voluptas est fugienda.

FEr Nulli hostes Evangelii sunt vera Ecclesia.
I Quidam superbientes titulo Ecclesiæ s. h. E.
O Ergò quidam superbientes titulo Ecclesiæ non sunt vera Ecclesia.

Modi minùs Principales sive Singulares:

Sing. aff. { Filius meus cum hirsutis manibus est Esau.
Iste est filius meus cum hirsutis manibus.
Ergò iste est Esau. Gen. 27. v. 23.

Sing. negat. { Præcursor Christi non est ipse Christus.
Iohannes Baptista est præcursor Christi.
Ergò Iohannes Baptista non est ipse Christus.

REGULA.

Quoties medius terminus est infinitus *id est, habet negationem annexam*: toties in hac figurâ Assumptio fit negativa. *Sitamen Subjectum Assumptionis ritè adhuc continetur sub Subjecto Propositionis tamquam species sub suo Genere, consequentia adhuc bona manet, ut:* Qui non est ex DEo verbum DEI non audit. Iudæi non sunt ex DEO. Ergo verbum DEI non audiunt.

CAPUT QUINTUM.

De Syllogismis Secundæ Figuræ.

Talis est Prima Figura: sequuntur reliquæ duæ tum quoad structuram: tum quoad Aefectionem communem.

Quid est *Secunda Figura?*

SECVNDA FIGVRA est, in quâ Medius terminus est prædicatum utriusq; præmissæ, quarum alterutra semper est negativa, unà cum Conclusione.

Congruunt hi Syllogismi directè ad principium Proportionis, & semper medius terminus aut in Propositione universaliter remotus à majori termino, in Assumptione attribuitur minori termino: aut in Propositione universaliter attributus majori termino, in Assumptione removetur à minore termino. Vnde postea in Conclusione ipse major terminus à Minore necessariò removetur.

Quot sunt *Modi* eius *principales?*

Quatuor: Duo Vniversales & duo Particulares, juxta versum: *CESARE, CAMESTRES, FESTINO, BAROCO, Secunda.* *Syllogizatur in* CESARE, CAMESTRES, FESTINO, BAROCO *est* Vniversal. prior cũ Prop. / Vniversal. poster. cũ Ass. / Particular. prior cũ Prop / Particul. post cum Ass. *negatiuâ.*

CES Nulla stella deflagrat.
AR Omnes Cometæ tandem deflagrant.
E Ergò nullus Cometa est stella.

CAM Omnes stellæ sunt corpora perpetua.
ESTR Nulli Cometæ sunt corpora perpetua.
ES Ergò nullus Cometa est stella.

FEST Nulli pii sunt superbi.
IN Multi Theologi sunt superbi.
O Ergò multi Theologi non sunt pii.

BAR Omnes verè credentes student bonis operibus.
OC Multi Christiani non studeut bonis operibus.
O Ergò multi Christiani non sunt verè credentes.

Modi minus Principales sive Singulares.

Singul. cum Prop. negat.
Vox Esavi non est eadem cum voce Iacobi
Iste habet vocem Iacobi.
Ergò iste non est Esau. Gen. 27. v. 23.

Singul. cum Ass. negat.
Christus est ipse Sponsus Ecclesiæ.
Iohannes non est ipse Sponsus Ecclesiæ.
Ergò Iohannes non est Christus.

REGULA.

Interdum ob materiam summè necessariam etiã vera est affirmativa Conclusio in Secundâ figurâ. Propositio enim ex terminis convertibilibus constans per simplicem Conversionem parit syllogismum primæ figuræ, ut: Omne animal sentit. Omnis homo sentit. Ergò omnis homo est animal. *Converte Propositionem simpliciter: & habebis syllogismum primæ figuræ, hoc modo.* Omne sentiens est animal. Omnis homo sentit. Ergò omnis homo est animal.

CAPUT SEXTUM.

De Syllogismo Tertiæ Figuræ.

Quid est *Tertia Figura?*

TERTIA FIGVRA est, in quâ Medius Terminus est Subjectum utriusq; Præmissæ, quarum alterutra semper est Particularis, unâ cum Conclusione: Assumptio præterea semper etiam affirmativa. Congruit & hæc figura dictæ ad Principium Propositionis. Sed & peculiare habet principium, hoc nempe: Quicquid convenit speciei convenit etiam generi

generi ipsi particulariter, & contra. Fit enim hic progressio ferè semper à specie ad genus particulariter. Unde Conclusionem semper oportet esse particularem.

Quot sunt *Modi* ejus *Principales?*

Sex, Duo *Universales* & quatuor *Particulares*, juxta versus Mnemonicos:

Tertia grande sonans recitat DARAPTI, FELAPTON,
Adjungens DISAMIS, DATISI, BOCARDO, FERISON.

Syllogismus igitur in	DARAPTI	est	Universalis affirmativus
	FELAPTON		Universalis negativus
	DISAMIS		Particularis affirm. primus
	DATISI		Particularis affirm. secundus
	BOCARDO		Particularis negativus primus
	FERISON		Particularis negativus secundo

DAr Omnes artes liberales sunt res bonæ.
Apt Omnes artes liberales sunt habitus.
I Ergò quidam habitus sunt res bonæ.

FEl Nulla funambulorum agilitas est ars.
Apt Omnis funambulorũ agilitas multo usu paratur.
On Ergò quædam multo usu parata non sunt artes.

DIſ Multi Scholaſtici ſiunt magni viri.
Am Omnes ſcholaſtici ſunt rudes pueri.
Is Ergò multi rudes pueri fiunt magni viri.

DAt Omnes ſeductores ſunt fugiendi.
Is Quidam ſeductores ſunt miniſtri verbi.
I Ergò quidam miniſtri verbi ſunt fugiendi.

BOc Quidam docti non ſunt divites.
Ard Omnes docti fuerunt Scholaſtici.
O Ergò quidam qui fuerunt ſcholaſtici nõ ſũt divites.

FEr Nulli incredduli ſalvantur.
IS Quidam incredduli ſunt potentes in hoc mundo.
On Ergò quidã potentes in hoc mundo nõ ſalvantur.

Qui ſunt Modi *minus principales* hujus figuræ?

In modis minus Principalibus ſive Singularibus Concluſio heic eſt particularis, non ſingularis. *Fiuntq́. ex Modis Principalibus ſic, ut pro medio termino Univerſali ſubſtituatur tantum medium ſingulare univerſali ſubſtratum. Vocant uſitatè Syllogismos Expoſitorios.* Exempli gratia, ex hoc Syllogismo modi Darapti, Omnis pius placet DEo Omnis pius eſt exoſus mundo. Ergò quidam exoſus mundo placet DEo, fit expoſitorius talis: Paulus Apoſtolus placuit DEo. Paulus Apoſtolus fuit exoſus mundo. Ergò quidam exoſus mundo placet DEo.

REGU-

REGULA.

Quoties Propoſitio eſt Univerſalis, Aſſumptioq́. Reciproca, toties Concluſio in tertia Figurâ vera eſt, etiamſi ſit Univerſalis, ut: Omnes credentes ſalvantur. Omnes credentes ſunt electi. Ergò omnes electi ſalvantur.

CAPUT SEPTIMUM.

De Reductione Syllogismorum Secundæ & Tertiæ figuræ ad Primam.

Adfectio Secundæ & Tertiæ Figuræ communis eſt Reductio.

Quid eſt Reductio?

REDUCTIO eſt Syllogismi Secundæ Tertiæve Figuræ in Syllogismũ Primæ Figuræ transformatio, *ideò facta, ut neceſſitas conſequentiæ in Syllogismo ita reducto ſit tantò manifeſtior.*

Quotuplex eſt Reductio?

Duplex

Duplex Reductio *Ostensiva* & Reductio *per Impossibile*.

Quid est *Reductio Ostensiva?*

Locum habet hæc Reductio in omnib modis Sec. & Tert. Figuræ, exceptis Baroco & Bocardo.

Est, quâ Syllogismus secundæ aut tertiæ figuræ directè ad primam reducitur, *ostendendo scilicet ejus consequentiam manifestè fundatam esse in Dicto de omni aut Nullo.* Fit hoc solâ *Conversione* aut *Transpositione Præmissarum*, retentis iisdem Conclusionis extremis, *hoc processu.*

I. Reductio fit ad illum Modum Primæ, cuius appellatio, quoad litteram initialem Syllogismo reducendo correspondet. Cæsare igitur & Camestres pertinent ad Celarent: Festino, Felapton, Ferison ad Ferio &c.

II. Tres hæ consonæ S. P. M. in nominib. Modorum occurrentes, monstrant quæ Propositio Syllogismi reducendi quomodo immutanda sit. Versus:

S. vult simpliciter verti: P. deinde per acci:
M. vult transponi: C. per impossibile duci.

III. Camestres & Disamis ita reducuntur, ut in Syllogismo reducto non retineatur prior

prior conclusio, sed eius loco Simpliciter-conversa substituatur.

Exempli caussâ, sit Syllog. in Darapti: Omnis homo est ratione præditus. Omnis homo est animal. E. quoddam animal est rat. præd. Reducitur ad Darii, conversâ per accidens Assumptione, sic: Omnis homo est ratione præditus. Quoddam animal est homo. E. quoddam animal est ratione præditum. At hic Syll. in Camestres: Omnes stellæ perpetuo durant. Nullus Cometa perpetuo durat. E. nullus Cometa est stella: reducitur ad Celarent, partim transpositione Propositionis in locum Assumptionis, partim Assumptionis & Conclusionis simplici Conversione, ut: Nihil perpetuo durans est Cometa. Omnes stellæ perpetuò durant. E. nulla stella est Cometa.

Raro fit, ut adversarius cõcedat Præmissas, & neget solam Cõclusionẽ. Ideo plus hæc otiosi est acuminis, quam necessarii usus.

Quid est *Reductio per Impossibile?*

Est, quâ vis consequentiæ Syllogismorum sec. & tertiæ figuræ demonstratur, non per directam applicationem eorum ad Dictum de omni aut nullo: sed per deductionem adversarii ad absurdum, *nempe ponendo Contradictionem Conclusionis ab adversario negatæ, secundum leges primæ figuræ loco Propositionis aut Assumptionis, & cum Præmissâ residuâ Syllogismum absolvendo, cuius*

ius Conclusio semper contradicet Præmissæ, prius ab adversario concessæ. Aliàs Reductio Indirecta. Locum habet in omnibus Syllogismis sec. & tert. Figuræ, quoties adversarius utramque Præmissam concedit, & tamen Conclusionem negat, quasi ex Præmissis non consequentem. *Sed Syllogismi in Baroco & Bocardo tantum per impossibile ad Barbarâ reduci possunt: numquam Ostensivè.*

CAPUT OCTAVUM.

De Syllogismo Composito Conditionali.

Satis de Syll. Perfecto: Imperfectus sequitur in quo leges Syllogisticæ constructionis non ita perfectè elucent.

Quotuplex est *Syllogismus Imperfectus?*

DUPLEX: Directus, qui & *Ostensivus, Deicticus*, vel *Obliquus.*

Quid est Syllogismus *Imperfectus Directus?*

Est,

EST, qui directè probat verum per vera: Estq; vel *Compositus* vel *Crypticus.*

Quid est Syllogismus *Compositus?*

Est, qui totam quæstionem indivulsè cum suo medio termino disponit in Propositione Compositâ affirmativâ, ita ut deinde Assumptio, atq; Conclusio absolvantur ponendo vel tollendo partes Propositionis.

Ponere *heic est, repetere hanc vel illam partem Propositionis sine ullâ immutatione in tali quantitate & qualitate, ut est proposita, ut:* Si homo est animal, utiq; sentit. Sed est animal. Ergò sentit.

Tollere *verò est, repetere certam partem Propositionis per contradictionem, ut:* Si aliqua peccata placent DEo, aliqui peccatores impœnitentes salvantur. Sed nulla peccata placent DEo. Ergò nulli peccatores impœnitentes salvantur.

REGULA.

Assumptio semper illam partem Propositionis repetit, in quâ est medius terminus: Conclusio illam, in quâ est quæstio controversa.

Quo.

Quotuplex est Syllogismus Compositus?

Duplex: *Conditionalis* & *Disjunctivus.*

Quid est *Syllogismus Conditionalis?*

Est, cuius Propositio est conditionalis. Vnde & *Hypotheticus* dictus. *Eius duo modi sunt.*

PRIMVS ponit in Assumptione Propositionis Antecedens, ut eiusdem Consequens concludat. *Vulgò Syllogismus ab Antecedente, ut:* Si Christus resurrexit & nos resurgemus. Sed verum prius. E. & posterius. Si mundus Apostolos odit, non sunt de mundo. Sed mundus Apostolos odit. E. non sunt de mundo. *Interdum ratione materiæ summè necessariæ valent etiam Syllogismi in quibus tollitur in Assumptione Antecedens, ut tollatur in Cõclusione Consequens, ut:* Si asinus volat, habet pennas. Sed non volat. Ergò non habet pennas Item. Si statua est homo, loquetur. Sed non est homo. E. non loquitur.

ALTER modus tollit in Assumptione Propositionis Consequens, ut tollat in Conclusione ejusdem Antecedens. *Vulgò*

Vulgò Syllogismus à consequente, ut: Si hic mundus est æternus: DEVS non est justus. Sed DEVS est justus. E. hic mundus non est æternus. Si omne animal esset homo: omnia animalia loquerentur. Sed quædam non loquuntur. E. quædam non sunt homines. *Valet etiam quandoq; consequentia ob terminos in Propositione reciprocos, à positione Consequentis ad positionem Antecedentis, ut:* Si est homo, est risibilis. Sed est homo. Ergo est risibilis.

CAPUT NONUM.

De Syllogismo Composito Disjunctivo.

Quid est Syllogismus *Disjunctivus?*

DISIVNCTIVVS est, cujus Propositio est Disjunctiva, *Aliàs Alternativus.*

Eius Principium regulativum est. *Posito uno contrariorum immediatorum in subjecto utriuscumq; capace, rectè removetur alterum, & contra.* Si igitur Assumptio est negativa: Conclusio est affirmativa, & vice versâ: nunquam contra, nisi in eo tantum casu, si Propositionis aliquod membrum sit negative conceptum, ut: Aut dies est, aut sol non ad-

est. Sed dies est. Ergò Sol adest. Vel: Sed dies non est. E. Sol non adest.

Quot sunt *modi* Syllogismi Disjunctivi?

Duo. PRIMVS tollit in Assumptione unum aut plura membra Disjunctionis in Propositione recitata, & in Conclusione residuum Propositionis membrum concludit, ut: *Aut dies est, aut nox est. Sed dies non est. Ergò nox est. Aut gratis justificamur, aut per merita operum. Sed non per merita operum. Ergo gratis.*

ALTER modus è Propositione membris omnibus affirmata ponit in Assumptione unum aliquod, & reliquum in Conclusione tollit, ut: *Ebrietas aut est virtus, aut vicium. Sed est vicium. Ergò non est virtus. Aut DEVS colendus est, aut Mammona. Sed DEVS. Ergò non Mammona.*

REGULA.

Si membra Propositionis sunt vel tantum subordinata, vel insufficienter enumerata: vitiosi fiunt Disjunctivi, ut: At gratis justificamur, *aut per meritum Christi. Sed gratis. E. non per meritum*

meritũ Christi. Huius generis est Disjũctivus ἀυτεξουσίου Edm. Campiani Iesuitæ: Aut nostrum est cælum, aut nullum est. Sed non est nullum. Ergò nostrum.

CAPUT DECIMUM.

De Enthymemate, Inductione, Exemplo.

Post Syllogismos Compositos sequuntur Cryptici.

Quid est *Syllogismus Crypticus?*

EST talis Syllogismus Imperfectus, in quo manifesta structura Syllogistica certo artificio, certoq; consilio occultatur, *scilicet vel per* Defectum, *vel* Redundantiam, *vel* Transpositionem *Propositionum ad perfectionem Syllogismi pertinentium.*

Quotuplex est Syllogismus Crypticus?

Duplex vel *Simplicis* vel *Multiplicis* occultationis. *Simplicis*, ut: *Syllogismus defectus, Syllogismus Redundans et Syllogismus Inversus.*

Quid est *Syllogismus defectus?*

Est cuius una aut altera pars deest, vel ob evidentiam, vel tædii vitandi causâ, vel infirmitatis eius dissimulandæ ergó. Eius insigniores species sunt *Enthymema, Inductio, Exemplum.* 5.

Quid est *Enthymema?*

ENTHYMEMA est Syllogismus alterutrâ præmissarum defectus, quæ cogitanda relinquitur. *Apud Oratores frequentia sunt Enthymemata. 1. ex Contrariis, ut:* Paries est niger. E. *non albus. 2. ex signis in sensus incurrentibus, ut:* Lucescit. E. Sol oritur. *3. ex conjecturis probabilibus, ut:* Habet multos libros. E. *est doctus.*

Ἐνθύμημα cogitatum, res cogitata. Verbale ab ἐνθυμέομαι, in animo volvo, cogito.

Partes eius sunt: Antecedens. *i. vel Propositio integri Syllogismi, vel Assumptio:* & Consequens *i. Conclusio.* Antecedens, *est Propositio Syllogismi: si habet idem prædicatum cum Consequente & tum deest Assumptio. Assumptio: si habet idem Subjectum cum Consequente, & tum deest Propositio.*

Exemp. Enthymematis: ut Qui vere credentes salvantur: Ergo Nulli vere credentes damnantur. è Syllog: Defect.

Quid est *Inductio?*

INDUCTIO est Syllogismus Assumptione defectus, in cuius Antecedente, plurib. Singularib. aut speciebus longâ serie enumeratis commune aliquod prædicatum attribuitur ut in Consequente idem prædicatū attribuatur toti Speci aut Generi. *Est quasi Syllogismus Inversus Primæ figuræ, procedens non ab universo genere ad certam speciem: sed a singulis speciebus ad genus universum, ut:* Vinum Creticum, Italicū, Rhenanum, Hungaricum calefacit, nec potest exemplum dissimile reperiri. E. omne vinum calefacit. II. Animalia terrestria, volatilia, aquatilia, amphibia sentiunt, neque dari potest exemplum dissimile. E. omnia animalia sentiunt.

Formula hæc Præcisionis: Nec p. c. d. r post Inductionem aliquo usque continuatam usitatissima est.

REGULÆ.

I Si vel unici exempli dissimilis vera Instantia dari potest: tota Inductio est viciosa.

II. Inductio est instrumentum cognitionis rerum. Per eam enim & artes olim inventæ sunt: & adhuc hodie discentibus declarantur.

Quid est *Exemplum?*

EXEMPLVM est Syllogismus Assumptione defectus, quo quidquid in Antecedente de uno alterove exemplo Singulari prædicatur, idipsum quoque de alio Singulari in Consequente concluditur, *sc. propter similem rationem. Similia enim similibus congruunt, ut:* Sæculum diluvii grauiter fuit punitum ob impietatem. E sæculum hoc nostrum ob eamdem causſam itidem graviter punietur. Bellum Græcorum contra Xerxem prædonem patriæ fuit honestum. E. & bellum Germanorum contra Turcicum prædonem est honestum.

REGULÆ.

I. Perit consequentia Exempli, quamprimum Exempla conferuntur dissimilia, ut: Abraham rectè fecit volens mactare filium. E. & Agamemnon rectè mactavit filiam Iphigeniam Exempla sunt dissimilia. Abraham sequutus est Dei mandatum. Agamem non mandatum diaboli.

II. Sic non valet consequentia, ab Exemplo falso, aut imitatione indigna.

III. Rudes & plebeii ducuntur Exemplis: docti & cordati Syllogismis.

IV Exempla non sunt longiùs extendenda Exemp: Matth. 6 Volucres cæli non serunt et metunt Ergò nec homines.

CAPUT UNDECIMUM.

De Syllogismo Redundante & Inverso.

Quid est *Syllog. Redundans?*

Amplificationes magis sunt Rhetorum: probationes magis Logicorum.

EST Crypticus, cui præter essentiales terminos aut partes alia accessoria superadduntur, sive amplificandi, siue ulterius probandi causſâ. *Accessoria illa Syllogismi Principalis sunt vel* Prosyllogismus *vel* Prosſyllogismus.

Quid est *Prosyllogismus?*

Est probatio præposita Syllogismo principali ad ipsum præmuniendum, & tanto firmiorem efficiendum. *Vsus eius est apud ingenia præfracta, quæ simplicem veritatem non facile admittunt, nisi adeo bene præmunitam, ut contra hiscere non ausint.* Vt, si Thesis hæreorum Anabaptistis asserenda sit: Lites forenses sunt concessæ Christianis: viam mihi præmuniet hic Prosyllogismus ab ipsis Anabaptistis concessus: ex quo tamen concesso, Thesis mea sponte profluit: Omnia officia politica sunt concessa Christianis. Iudicia

cia sunt officia politica. E. judicia sunt concessa Christianis.

Quid est *Prossyllogismus?*

Est probatio vel postposita Syllogismo principali: vel illi præmissæ ad quam pertinet statim annexa. *Probatio hæc ex argumento aliquo artificiali, aut e testimonio probati auctoris: aut Maximâ aliquâ Logicâ exstruitur.*

Quid est *Syllogismus Inversus?*

Est Crypticus, cuius Propositiones inverso & turbato ordine collocantur. *Hoc iterum artificium quasi proprium est Rhetorum.*

CAPUT DUODECIMUM.

De Sorite.

Crypticus Simplicis Occultationis talis est: restant Cryptici Multiplicis Occultationis, inter quos eminent Sorites *ac* Dilemma.

Quid est *Sorites?*

SORI-

SORITES est Sylligismus multiplicis occultationis, defectus nempe Assumptione, & Prossyllogismo uno pluribusve accopulatus, ut in præmissis, (*quæ semper sunt plures duabus*) prædicatum præmissæ præcedentis fiat subjectum sequentis: donec tandem in Conclusione subjecto primæ præmissæ attribuatur prædicatum ultimæ.

σωρείτης est a σωρὸς cumulus Hinc Cic. 2 de Divin. Acervalē. Persius Sat. 6. simpliciter Acerorum vocitat: Horat. 2. Epist. 2 rationē sequentis acervi.

Materia Soritæ est Syllogismus principalis a specie vel caussâ prædicati Quæstionis, cuius Assumptio Prossyllogismum habet ab inferiore adhuc specie, aut aliâ porro caussâ prædicati Assumptionis, & sic pro re natâ consequenter.

Declara planius Structuram Soritæ?

I. Dato tali Syllogismo principali fac Enthymema ablatâ Assumptione: & habebis Conclusionem Soritæ, & Præmissam eius Infimam, seu Conclusioni proximam.

II. Si Prossyllogismus tantum unicus adsit: Assumptio eius erit Præmissa Soritæ sum-

ma: Propositio, intermedia. Sic absolutus fuerit Sorites.

Tot igitur sunt Præmissæ Soritæ: quot habet præmissas supra duas.

III. Sed si Prosyllogismi Assumptio porrò habeat suum Epilogismum, & Epilogismi Assumptio suum Prosepilogismum &c: tunc sola Propositio omnium istorum Syllogismorum accessoriorum Soriten ingreditur, usque ad ultimum Prosyllogismum, qui utramque suam Præmissam Soritæ impertit, sed ut jam dictum est, ordine inverso.

Exempla Analyseos Soritarum.

I. Diabolus est caussa lapsus. Lapsus est caussa peccati. Peccatum est caussa damnationis. E. diabolus est caussa damnationis. II. Homo est animal. Animal est vivum corpus. Vivum corpus est substantia. E. homo est substantia. III. Nimia ingurgitatio impedit coctionem in ventriculo. Coctio sic impedita gignit impurum sanguinem in epate. Impurus sanguis epatis spargit vitiosos humores per totum corpus. Vitiosi humores: parium cacochymiam. Cacochymia parit hydropem. E. nimia ingurgitatio parit hydropem.

REGULÆ.

1. Vis consequentiæ Soriticæ vertitur in necessario nexu terminorum subordinatorum, quales

quales sunt Caussæ & Caussata per se, item Genera & species subalternæ.

II. Prima Soritæ Præmissa numquam potest esse negativa (est enim Assumptio Prosyllogismi primæ Figuræ) sed sequentes tamen Præmissæ negativæ esse possunt, modo sit bona terminorum subordinatio.

CAPUT TREDECIMUM.

DE DILEMMATE.

Quid est Dilemma?

DILEMMA est Syllogismus multiplicis occultationis, in quo quæstio controversa probatur duobus minimùm argumentis immediatè oppositis, quorum alterutrum adversarius concedere cogatur: utrumcunq; verò concesserit, tamen certò capitur, *id est, Prosyllogismis adhibitis refellitur. Aliàs Syllogismus Cornutus, Crocodilinus, Ratio bifurcata.* Cicero de Inv.: Complexionem appellat.

Δίλημμα ἀπὸ τοῦ δὶς & λαμβάνω capio, quod bis

Syllogismus Principalis in Dilemmate semper est Conditionalis secundi modi, cuius Propo-

sive ab utra parte capiat adversarium.

Propositio in Consequente habet duos ad minimum medios terminos disjunctivè & immediatè sibi oppositos. Assumptio deinde utrumq; illum medium terminum tollit, ut Conclusio tollat Propositionis Antecedens. Postea subjiciuntur duo Assumptionis Prossyllogismi ad utrumq; membrum remotionis approbandum. Vt Syllogismus principalis est:

Si sancti de mortui sunt invocandi. aut invocabuntur ut ipse DEus: aut ut intercessores apud Deum.
Atqui nec ut ipse DEus, nec ut intercessores apud DEVM invocandi sunt.
Ergò plane non sunt invocandi.

Prossyllogismus prior Assumptionis.

Nulla creatura debet invocari ut ipse DEVS.
Sancti demortui sunt tantum creaturæ.
E. sancti de mortui non debent invocarit ut DEVS.

Prossyllogismus posterior Assumptionis.

Si Christi solius intercessio apud DEVM sufficit, sanctorum intercessio non est advocanda.
Sed verum prius. Ergò & posterius.

REGULÆ.

I. Dilemmata ferè in conflictu disputationis Syllogismum principalem cum suis Prossyllogismis rotundè & breviter permiscent & contrahunt in paucas sententias. Prima est Thesis adversarii. 2. Disjunctio membrorum immediatè oppositorum. 3. Remotio utriusque membri Disjunctivi. 4. Confirmatio Remotionis. 5. Conclusio, ut: 1. Dicis sanctos esse invocandos. 2. Aut invocabuntur ut DEVS: aut ut intercessores apud DEVM. 3 At neutro modo sunt invocandi. 4. Sunt enim primo Creaturæ: deinde Christi intercessio apud DEVM nobis sufficit. 5. Ergo plane non sunt invocandi.

II. Immò ex his quinq; sententiis etiam adhuc aliquæ compendii causâ persæpè omittuntur, quas prudens Analysis facilè restituet. Talis est Dilemma Ennii 2. ad Herenn:

Injuriâ abs te afficior indignâ, pater.
Nam si improbum Cresphontem existimaveras:
Cur me huic locabas nuptus? sin est probus:
Cur talem invitam invitum cogis linquere.

Tale est & illud Erasmi in libellum Fabri:

Mente cares, si res agitur tibi seria: rursus
Fronte cares, si sic ludis amice Faber.

III. Vis Consequentiæ Dilemmatis tota posita est in membrorum Disjunctivorum partim verâ & immediâta oppositione: partim necessariâ remotione. Si igitur 1. membra Disjunctionis

tionis non sunt verè Oppositæ, sed tantum Diversæ. 2. Si non sunt immediatæ. 3. Si membri alicuius remotio non sit necessaria: sed aut simpliciter falsa, aut tantùm Contingens: jam refutatum est Dilemma.

CAPUT ULTIMUM.

De Syllogismo per Impossibile & ex Oppositis.

Hucusq; de Syllogismo Imperfecto Directo: restat Obliquus.

Quid est *Syllogismus Imperfectus Obliquus?*

EST, qui obliquè probat verum per falsa, dicis tantum causâ, ad tempus in gratiam adversarii adsumta, uti est *Syllogismus per Impossibile, & Syllogismus Oppositivus.*

Quid est *Syllogismus per Impossibile?*

Aristoteles interdum appellat

Est Categoricus Primæ vel Secundæ Figuræ, cuius Assumptio semper est contradictoria meæ Thesi ab adversario negatæ: Propositio verò est sententia manifestò vera & utrimq; jam concessa. Cùm autem ex his præmissis necessariò sequatur absurda conclusio: hinc porrò per duplicem Syllogismum Hypotheticum evincitur: absurdam etiam esse Assumptionem in gratiam Adversarii à me pro verâ acceptatam: meam verò Thesin è contrario esse veram. *Valdè urget hoc genus syllogismorum in disputando, & adhiberi potest pro re natâ ad quãcunq; Thesin demõstrãdam: præcipuè verò ad demonstrandam veritatem principiorũ, & Thesium principiis propinquarum, utpote quarum probatio directa non est cuivis in proclivi.*

Syllogismũ ducentem ad impossibile sive ad absurdum. Sed multò crebrius vocat Syllogismũ per Impossibile. sc. vera probantem.

Exemplum Syllogismi per Impossibile.

Sit Thesis mea. Nulla bona opera merentur vitam æternam. *Neget hãc adversarius. Ergò ejus Thesin* (Quædam bona opera merentur vitam æternam) *dicis causâ accepto pro Assumptione Syllogismi per Impossibile, cuius* Propositio (Quicquid meretur vitam æternam est indebitum) *antea ab adversario concessa fuerat. Sic habebo integrum Syllogismum talem:* Quicquid meretur vitam æternam est indebitum. Quædam bona opera merentur vitam æternam. Ergò quædam bona opera sunt indebita. *Conclusio est absurda, & manifestè pugnans cũ dicto*

dicto Salvatoris Lucæ 17. ℣. 10. Iam ergò ulterius probo hæc duo: I. Assumptionem præcedentis mei Syllogismi esse falsam, hoc modo. Si Conclusio est falsa, falsa utique erit aut Propositio aut Assumptio. Nõ autem Propositio, quia utrimq; ſã concessa. Ergò Assumptio. II. Meam Thesin (Nulla bona opera merentur vitam æternam) esse veram hoc modo: Si Contradictoriarum una est falsa, altera necessariò erit vera. Atqui Contradictoriarum una (Quædã b. o. m. v. æ:) est falsa. Ergò altera necessariò erit vera, nempe: Nulla b. o. m. v. æ.

Quid est *Syllogismus Oppositivus?*

Est Syllogismus negativus Secundæ & Tertiæ Figuræ, qui ex præmissis invicem contradictoriis, aut etiam cõtrariis, ab adversario imperitè concessis concludit, idem non esse idem. *Exempli gratiâ*, Pontificii mordicus tuentur hanc Thesin: *Nullum veniale peccatum promeretur mortem.* Interim iidem coguntur etiam, velint nolint, adstipulari Apostolo dicenti Rom. 6. 23. *Stipendia peccati, mors.* Hinc talis in ipsos vibratur Syllogismus ex Oppositis:

Omne peccatum mortem promeretur.
Quoddam peccatum (nempe veniale) mortem non promeretur.
E. quoddam peccatum non est peccatum.

FINIS LIBRI TERTII.

COMPEN-

COMPENDII LOGICI
LIBER QUARTUS
DE SYLLOGISMO MATERIALI AC METHODO.

CONSPECTUS LIBRI.

- Agit liber Quartus de Syllogismo Materiali
  - Primò, Puro vel Misto, Secundò, Reali vel Notionali. — C. I.
  - Tertiò
    - Artificiali
      - Necessario
        - Apodictico, ubi de Demonstratione — Potissimâ. C. II. Secundariâ. C. III.
        - Dictico. C. IV.
      - Probabili. C. V.
    - Inartificiali, ubi de Testimonio. C. VI.
  - Quartò, Vero, vel Sophistico, ubi de Solutione Fallaciarũ, in
    - Genere. C. VII.
    - Specie, de Solutione Fallaciar. hærentium in
      - Conclusione. C. VIII.
      - Præmissis, ubi Solutio Fallaciarum
        - Formæ. C. IX.
        - Materiæ, ut Fallaciarum
          - In dictione: AEquivoc. C. X. Amphib. C. XI.
          - Extra dictionem, commissarum circa Medium Term. C. XII. XIII.
- Methodo
  - Perfectâ & Naturali, in
    - Genere. C. XIV.
    - Specie, ubi de Meth.
      - Syntheticâ
      - Analyticâ
      - — C. XV.
  - Crypticâ, C. XVI.

CAPUT PRIMUM.

De Syllogismo Puro ac Misto: Reali & Notionali.

Formalis Syllogismus integrè descriptus est, restat Materialis.

Quid est *Syllogismus Materialis?*

MATERIALIS dicitur Syllogismus, quatenus Materia eius, *i. habitudo Medii ad ipsam Conclusionem*, consideratur. *Eius natura quatuor divisionibus plenè exhauritur.*

Quæ est *prima* eius *Divisio?*

Primò, Syllogismus Materialis est *Purus* aut *Mistus*.

Purus est, cuius omnes tres termini sunt homogenei, *i. ex unâ & eâdem disciplinâ petiti. Fit hoc quando duo termini Quæstionis sunt unius & eiusdem disciplinæ. Tum enim & Medius ex illâ ipsâ & nullâ aliâ petendus erit. Secus si fiat, committetur Sophistica* μετάβασις εἰς ἄλλο γένος. Vt ad probandum

bandum Quæstionem: An Ignis *sit corpus*, Medius terminus non nisi ex Physicâ depromendus erit: *quia uterque Quæstionis Terminus pertinet ad Physicam. Inventò igitur tali Medio, nascetur Syllogismus Purus, qualis est iste ex adjuncto utriusque extremi Quæstionis*: Omne mobile est corpus. Ignis est mobilis. E. ignis est corpus.

Mistus est, cuius Quæstio constat Terminis heterogeneis, ad distinctas disciplinas pertinentibus: *unde & Medius promiscuè ex hac aut illâ disciplinâ accersi potest, ut:* Quæstio controversa Mista est: An Christus *sit verus homo. Subjectum* soli Theologiæ, *prædicatum etiam Physicæ subjicitur. Ex utrâque igitur disciplinâ Medii Termini poterunt depromi. Vnde ex partibus essentialibus prædicati talis confiet Syllogismus Mistus: Qui præditus est animâ rationali & corpore humano est verus homo. Christus præditus est a. r. e. c. h. E. Christus est verus homo.*

Dic *Secundam Divisionem* Syllogismi Materialis?

Syllogismus Materialis *secundò* est *Realis* vel *Notionalis*. *Realis*, cuius termini reales exprimuntur etiam realiter, *i. vocibus tantum primæ non secundæ notionis. Notionalis*, cuius termini reales, unus pluresve

notionib. Logicis circumscribuntur. *Vulgò Syllogismus Topicus, Logicus, Intentionalis. Vt, Realis Syllogismus* est: Quod facit ad habitum non est ipse habitus. Logica facit ad habitum, E. non est ipse habitus. *Notionalis vero:* Caussa efficiens habitus non est ipse habitus. Logica est caussa efficiens habitus. E. Logica non est ipse habitus.

REGULA.

Si Prædicatum Quæstionis concludendæ est notionale, tum ex naturâ Termini Logici, qui prædicato admiscetur Inventio Medii erit facillima. Semper enim aut Propositio aut ratio eius erit Præceptum aliquod Logicum libro primo traditum.

CAPUT SECUNDUM.

De Demonstratione potissimâ τὸ διότι.

Quæ est *Tertia Divisio* Syll. Materialis?

TERTIO, Syllogismus aut *Artificialis* est, aut *Inartificialis.*

Quid est *Syllogismus Artificialis?*

Est, cuius med. term. proprium in se habet artificium sive facultatem probandi. *Tale artificium habent omnes Termini libro primo descripti, qui eo respectu Loci Dialectici nuncupantur, & Medios Terminos probandis Quæstionibus controversis suppeditant beneficio suarum Maximarum Topicarum.*

Quid est *Maxima Topica?*

Est ratio dependentiæ hinc prædicati, illinc Subjecti Quæstionis a suo Medio. Estque duplex, *Maxima Prædicati* & *Maxima Subjecti.*

Maxima Prædicati ostendit dependentiam prædicati Quæstionis a suo Medio, *tali ratione, ut cuicumque tribuitur vel adimitur in Assumptione Medius terminus, certo modo ad prædicatum quæstionis adfectus: eidem etiam in Conclusione tribuatur vel adimatur ipsum prædicatum Quæstionis.*

Maxima Subjecti ostendit dependentiam Subjecti quæstionis a suo Medio, *ta-*

li ratione, ut quidquid in Propositione tribuitur aut adimitur Medio termino, certam relationem ad Subjectum Quæstionis habenti: id ipsum quoque in Conclusione tribuatur ipsi Subjecto quæstionis.

Exemplum.

Omne animal est substantia.
Omnis homo est animal.
E. Omnis homo est substantia.

In hoc Syllogismo Medius term. (Animal) est ex Loco speciei, respectu prædicati quæstionis: ex Loco vero generis, respectu Subjecti quæstionis. Maxima igitur prædicati est: Cui tribuitur species, eidem tribuitur & genus, vel: Posità specie, ponitur genus. In Assumptione homini tribuitur species, Animal. Ergo in Conclusione eidem homini tribuitur genus Animalis, Substantia. Maxima Subjecti est: Quidquid tribuitur generi, idipsum quoque tribuitur cuilibet speciei, vel: Quale est genus, talis est quælibet species. In Propositione tribuitur Animali, generi hominis, Substantia. Ergo in Conclusione idem prædicatum (Substantia) rectè quoque tribuitur speciei Animalis, Homini, i. rectè concluditur: E. omnis homo est substantia.

Quid est *Syllogismus Necessarius?*

Est, qui ex medio necessario infert Conclusionem necessariò veram, ad pariendum Scientiam. Estque vel *Apodeicticus*, qui unâ voce *Demonstratio* dicitur, vel Deicticus.

Quid est *Demonstratio?*

DEMONSTRATIO est Syllog. necessarius, cuius medium est vel necessaria aliqua causa, vel necessarium effectum prædicati Quæstionis. *Aristoteli*, ἀπόδειξις. Est autem vel *Potissima* vel *Secundaria*.

Quid est *Demonstratio Potissima?*

Est, in quâ de Subjecto proprio concluditur adjunctum eius proprium, per efficientem aut finem proprium, proximum & adæquatum. *Vulgò Demonstratio* τῦ διότι. *Semper igitur Minor Terminus est Subjectum Proprium Maioris Termini: Maior est adjunctum proprium Minoris Termini: Medius, est causa efficiens aut finis proximus & adæquatus Maioris Termini. Quòd si Medius etiam simul fuerit Forma essentialis Minoris Termini: tum Demonstratio erit longè*

Dicitur Dem. τῦ διότι eius propter quod, quia per eam cognoscimus causam, propter quam

accidens propriũ Subjecto insit.

perfectissima, quippe cuius omnes tres Propositiones erunt summê necessariæ.

MAXIMA TOPICA DEMONSTRATIONIS POTISSIMÆ.

Positâ vel sublatâ in Assumptione Efficiente aut Fine proximo & adæquato prædicati Quæstionis: ponitur in Conclusione ipsum prædicatum, tamquam effectum aut finitum proximum & adæquatum.

Exemplum e Causâ efficiente:

Omne rationale est risibile.
Omnis est homo est rationalis.
Ergo omnis homo est risibilis.

Hoc in Ass. ponitur sive affirmatur de homine Ratio, quæ est efficiens proxima prædicati Quæstionis, nempe Risibilitatis. Ergo in Conclusione ponitur quoque sive affirmatur de eodem homine ipsum prædicatum, nempe Risibilitas, tamquam proprium effectum Rationis, i. rectê concluditur: Ergo omnis homo est visibilis.

Exemplum e Fine:

Quidquid victu extrario opus habet, illud indiget sano promptoq; visu.
Animalia perfecta victu extrario opus habent.
Ergo indigent sano promptoque visu.

Hic in Ass. ponitur sive affirmatur de Animalibus perfectis, Victus extrarius, qui est finis adæquatus & proximo prædicati Quæstionis, nempe Visus sani promptique. Ergo in Conclusione ponitur quoque, sive adfirmatur de iisdem animalibus ipsum prædicatum, nempe Visus, tamquam finitum proprium & adæquatum Victus extrarii, i. rectê concluditur: Ergo Animalia perfecta indigent sano promptoque visu.

REGULÆ.

I. Demonstrationis potissimæ exempla dantur tam in Practicis quàm Theoreticis disciplinis, etsi in his exempla sint & crebriora & digniora.

II. Demonstrationes quoque negativæ interdum occurrunt: sed adfirmativæ tamen sunt præstantiores.

Ex efficiente:

I. Quidquid non habet rationem, non habet etiam loquelam. Brutæ pecudes non habent rationem. E. brutæ pecudes non habent etiam loquelam. II. Qui non sunt ex Deo, verbum Dei non audiunt. Iudæi non sunt ex Deo. E. Iudæi verbum Dei non audiunt. *III. E. fine.* Quidquid non confirmat fidem non est Sacramentum. Conjugium non confirmat fidem. E. Conjugium non est Sacramentum.

CAPUT TERTIUM.

De Demonstratione Secundariâ τῦ ὅτι?

Quid est *Demonstratio* τῦ ὅτι?

Dicitur Dem. τῦ ὅτι, eio quod est, quia per eam cognoscimus tantum aliquid inesse, sed causam, cur aliquid insit, non cognoscimus.

EST, in quâ prædicatum concluditur de Subjecto per tale medium, quod est effectum proprium prædicati Quæstionis. Alias *Demonstratio a posteriore, Demonstratio signi.*

MAXIMA. TOPICA.

Posito vel sublato in Assumptione effecto proprio & immediato prædicati Quæstionis, ponitur vel removetur in Conclusione ipsum prædicatum, tamquam propria caussa istius effecti. Exempla. I. Omnes mortales sunt peccatores. Omnes Infantes sunt mortales. E. infantes quoque sunt peccatores. Heic in Assumptione ponitur sive affirmatur de Infantibus, Mortalitas, tamquam effectum proprium prædicati Quæstionis, sc. Peccatorum. Ergo etiam in Conclusione de iisdem Infantibus ponitur seu affirmatur ipsum prædicatum, Peccatores, tamquam caussa propria Mortalitatis. II. Quidquid non respirat non est animal. Nulla planta respirat. E. nulla planta est animal.

Quid

Quid accidit Demonstrationi Secundariæ?

Regressus, *quo scilicet, post demonstratam de Subjecto caussam propriam ex effecto proprio, vice versâ de eodem Subjecto demonstratur effectum propriũ per caussam propriam.* Fit hoc, per Conversionem Simplicem Propositionis, & Translocationem Assumptionis & Conclusionis, ut: Omnes peccatores sunt mortales. Omnes infantes sunt peccatores. E. omnes infantes sunt mortales. *In Christianâ Praxi pœnitentiæ et fidei quotidianus est hic Regressus:* Qui seriò agit pœnitentiam est verè fidelis. Ego ago pœnitentiam seriam. Ergo sum verè fidelis. Rursus: Qui est verè fidelis ille agat seriam pœnitentiam. Ego sum verè fidelis. E. agam seriam pœnitentiam.

CAPUT QUARTUM.

De Syllogismo Necessario Deictico.

Actum est de Demonstratione utrâque: sequitur Syllogismus Deicticus.

Quid est *Syllogismus Deicticus?*

EST

EST Syllogismus necessarius, probans Quæstionem controversam per quodcumque aliud Medium necessarium, præter efficientem, finem aut effectum proximum Prædicati Quæstionis.

Ex quibusnam *Locis* ducuntur Syllogismi Deictici?

Ex *Locis* partim *Consentaneis* tam *Primitivis*, quàm *Derivativis*: partim *Dissentaneis*.

MAXIMÆ TOPICÆ PRÆDICATI.

Positâ vel remotâ in Assumptione	1 Materia	necessariò ponitur vel removetur in Conclusione	Materiatum.
	2 Materiâ		For. determ.
	3 Forma		Formatum.
	4 Formâ		Materia det.
	5 Materiato		Materia.
	6 Formato		Forma.
	7 Finito		Finis.
	8 Subjecto proprio		Adjunctum proprium.
	9 Totâ Distributione		Ipsum Distributum.
	10 Distributo		Totâ Distrib.
	11 Definito.		Definitum.

12. Posito uno Oppositorum necessariò removetur alterum.

13. Remoto uno Oppositorum immediatorum, ponitur alterum necessariò.

14. Quidquid ut proprium & adæquatum affirmatur in Assumptione de Subjecto affirmato: idipsum quoque negatur in Conclusione de Subjecto negato. Vulgò Argumentatio a Contrario sensu.

Posito in Assumptione	15 Toto quocumque	necessariò ponuntur in Conclusione	Part. princip.
	16 Toto perfecto		Part. quæcunq.
	17 Genere Universaliter sumpto		Quævis species determinatê.
	18 Genere indefinitê sumpto		Species aliqua indeterminatê.
	19 Specie quâcunque		Genus.

Remotâ in Ass.	20 Efficiente rem.	necessariò removetur in Concl.	Effectum remotum.
	21 Vnâ parte pr.		Totum.
	22 Genere quoc. modo		Quævis spec. determinatê.
	23 Vnâ aliquâ Specie		Genus universê sumptum.

MAXI

MAXIMÆ TOPICÆ SUBJECTI.

Qualis in Propositione est vel non est	1 Materia	tale necessariò in Conclusione est, vel non est	Materiatum.
	2 Forma		Formatum.
	3 Materiatum		Materia.
	4 Formatum		Forma.
	5 Finitum		Finis.
	6 Subj. propr.		Adjunctum proprium.
	7 Adj. propr.		Subjectum proprium.
	8 Vnum oppositorum.		Non est alterum, si sc. attributum sit alterutri oppositorum propriũ.
	9 Totum		Omnes partes homogeneæ pro ratâ proport.
	10 Pars homogen.		Totum pro ratâ prop.
	11 Genus, quâ genus		Quælibet Species.
	12 Species ratione genericâ		Genus universaliter.
	13 Species ratione propriâ		Genus particulariter.
	14 Omnia membra communiter		Ipsum Distributum.
	15 Distributum		Distributio.
	16 Definitio perf.		Definitum.

Exempla singularum Maximarum discentibus ostendet sedulus Magister, inque applicatione eorum quotidie eos exercebit.

CAPVT

CAPUT QUINTUM.

De Syllogismo Probabili sive Dialectico.

Syllogismo Artificiali Necessario satisfecimus: sequitur Probabilis.

Quid est *Syllogismus Probabilis?*

EST, qui Medio Probabili infert Conclusionem contingenter tantum veram, ad concipiendam in animo Opinionem. *Aliàs Syllog. Contingens, Dialecticus, Topicus, Item Epicheiréma.*

Quæstio igitur talium Syllogismorum semper est ἀόριστα, i. in utramque partem disputabilis.

Ex quibusnam *Locis* ducuntur Syllogismi Probabiles?

Ex *Consentaneis* tam *Primitivis*, quàm *Derivativis*: ex *Dissentaneis*: denique ex *Comparativis*.

MAXI-

MAXIMÆ TOPICÆ PRÆDICATI.

Iuxta hæc ferè tantũ æstimari solent Syll. Probabiles e Locis Consentaneis & Dissentaneis.

Positâ aut remotâ in Assumptione

1. Causſa eff. remotâ	probabiliter ponitur aut removetur in Cõcluſione	Effectum remotum.
2. Impulſivâ		Effectum Impulſum.
3. Inſtrumento		Inſtrumentatum
4. Materiâ commum		Materiatũ commune.
5. Fine arbitrario		Finitum arbitrarium.
6. Effecto remoto		Efficiens remota.
7 Effecto Impulſo		Cauſſa Impulſiva.
8 Inſtrumentato		Inſtrumentum.
9 Materiato comm.		Materiâ.
10. Finito arbitrario		Finis arbitrarius.
11. Subjecto comm.		Adjunctũ commune.
12. Loco		Locatum.
13 Tempore		Res temporea.
14. Objecto commu.		Adj. occupatum.
15. Adj. accidentali		Subjectũ accidẽtale.
16 Adj. Antecedente		Subject. Conſequens.
17 Subject. Conſeq.		Adj. Antecedens.
18. Adjuncto occup.		Objectum.
19. Vno Conjugato verè Logico		Alterum Conjugatũ verè Logicum.
20. Definitione nom.		Nomen definitum.
21. Nomine definito		Definitio nominis.
22. Parte Integrali		Totum.
23. Deſcriptione		Res deſcripta.
24. Vno duorũ pariũ		Alterum duor. pariũ.

Remoto

Remoto

26. Vno Oppoſ. mediatorum	probabiliter removetur etiam	Alterum talium Oppoſitorum.
27. Vnâ & altera Specie		Genus indefinitè ſumptum.
28. Minore		Maius.

Poſito

29. Toto.	probabiliter ponitur etiam	Pars quævis etiam min principal.
30. Genere indefin. ſumpto		Hæc vel illa Species.
31. Maiore		Minus.

MAXIMÆ TOPICÆ SUBjecti e Locis Derivativis.

Quale eſt in Propoſitione

1. Vnum Conjug.	tale plærumque eſt in Concluſione	Alterum.
2. Defin. nomin.		Nomen defin.
3. Nomen definit.		Definitio nom.
4. Totum		Pars quælib.
5. Pars aliqua		Totum.
6. Deſcriptio		Res deſcripta.

E Locis Comparativis.

7. *Quidquid competit uni duorum parium, illud competit etiam alteri, & contra.*
8. *Si paria invicem sunt subjecta: paria etiam erunt invicem prædicata, & contra.*
9. *Subjecta pariter contraria requirunt etiam prædicata pariter contraria.*
10. *Quidquid bonorum non competit maiori, non competit etiam minori.*
11. *Quidquid mali aut ingrati competit maiori, multo magis competit minori.*
12. *Quidquid boni competit minori, multo magis competit maiori.*
13. *Quidquid mali aut ingrati non competit minori, multo minus competit maiori.*
14. *De Similibus simile est judicium. Quod competit uni similium, eius simile competit alteri similium, & contra.*
15. *Simile non est idem.*
16. *Dissimilia quadrant dissimilibus.*

CAPUT SEXTUM.

De Loco TESTIMONII.

Hactenus

Hactenus Logica Syllogismi Artificialis, restat Syllogismus Inartificialis.

Quid est *Syllog. Inartificialis?*

EST, cuius Medium probans omne artificium & facultatem probandi aliunde mutuatur, idque ad faciendam Fidem. *Aliàs Testimonium, Auctoritas, per Synecd. partis. Medius enim Terminus hoc semper est Testimonium, i. integra sententia ab aliquo prolata, auctoritatem sive vim probandi aliunde adsequuta. Ut:* Sit Thesis probanda: Partus perfectus edi potest mense septimo. Probetur e Testimonio Hippocratis, qui hoc dixit. Sed hoc argumentum per se nihil probat: sed omne artificium probandi sumit ex adjunctis Hippocratis, ut scientiâ rerum naturalium, peritiâ, fide, observatione & experientiâ.

Inartificialis dicitur, nō quasi omni arte carens: sed quia nullam in se ipse artem seu vim probandi habet.

Regulæ argumentandi e Testimonio.

I. Thema affirmativum probatur etiam Testimonio tantum affirmante: at negativum Thema utriusque generis Testimonia admittit.

II. Testimonium affirmans contrarium probat Thema negativum contrarii.

III. Testimonium, verè & expressè aliquid negans, verè probat Thema illud negativum.

IV. Testimonium universalis reticentiæ illius rei, quæ in Themate negatur, firmiter probat illud ipsum Thema. Sed Testimonium particularis reticentiæ non item.

Quotuplex est *Testimonium*?

Duplex, *Necessarium* aut *Probabile*. *Illud* est necessariò verum, & citra ullam dubitationem ab omnibus acceptandum, uti est *Testimonium Dei* & *Sensuum propriorum*.

REGVLÆ de Testim. Divino.

I. Testimonium divinum hodie nullum aliud dari potest, nisi aut Biblicum, aut ex Bibliis bonâ consequentiâ deductum.

II. Testimonium divinum siniſtrè intellectum non est Testimonium divinum.

REGULÆ de Testim. Sensuum propriorum.

Testi-

Testimonium propriorum Sensuum est, primò Conscientiæ propriæ, *de rebus sive veris aut falsis: sive faciendis aut omittendis: secundò*, Sensuum externorum, *ut visus, auditûs &c. & ipsius Experientiæ sensualis.*

Quid est *Testimonium Probabile*?

Est Syllogismus, cuius Thema probatur Testimonio tantum probabiliter vero. *Tale est Testimonium humanum, quà est humanum.*

REGULÆ de Testimonio Humano.

I. Testim. Humanum tribus ferè gradibus Probabilitatis distinguitur.

II. Primus gradus habet Testimonia probabilitatis summæ, qualis est 1. in Tabulis publicis Magistratuum 2. in Confessionib. maleficiorum liberis 3. Testimonio bono hostis de hoste 4. Famâ publicâ & diuturnâ 5. Testimoniis Grammaticis, & Historicis probatorum auctorum. 6. Patribus Ecclesiasticis.

III. Secundus gradus habet Testimonia probabilitatis paullo debilioris, qualis est Theoreticorum auctorum, item solius antiquitatis.

IV. Tertius gradus habet Testimonia probabilitatis debilissimæ, qualis est in 1. Laude propriâ temerè prolatâ. 2. Oratione adfectibus interpolatâ. 3. Iudicio vanæ plebis. &c.

CAPUT SEPTIMUM.

De Solutioue Fallaciarum in genere.

Tres Divisiones Syllogismi Materialis dedimus: Quartâ omnis Syllogismus Materialis est Verus *aut* Apparens.

Quid est *Syllogismus Verus*?

SYLLOGISMVS Verus est, cuius & forma & Materia bona est.

Quid est *Syllogismus Apparens*?

Est, cuius aut forma, aut materia est falsa, specie tamen veri interpolata. *Aliàs Syllog. Sophisticus, Elenchus Sophisticus, Fallacia. De hic etiam præcepta danda sunt in Logicis, non quà sunt Fallaciæ: sed quà veri speciem habent, & beneficio certarum Regularum agnosci atque dissolvi possunt.* Quid

Quid est *Solutio Fallaciarum*?

Est fraudis in Syllogismo Apparente latitantis patefactio, & redargutio, eaque vel *Directa*, vel *Obliqua*.

Quæ est *Solutio Directa*?

Quæ ad ipsam Fallaciam solvendam rectâ & immediatè dirigitur, vel *Concessione*, vel *Refutatione*.

Quando locum habet *Concessio*?

Cùm aut *Conclusio* adversaria non verè impugnat meam Thesin: aut *Præmissa* alterutra vel simpliciter vel certo sensu vera est, ut negari non possit.

Quot modos habet *Refutatio*?

Duos, *Negationem* aut *Distinctionem*. *Illâ* opus est 1. in viciis Formæ. 2. quando Præmissa aliqua ex falsa. 3 In malâ consequentiâ Propositionis Syllogismorum Compositorum. *Hac* vero opus est, quando vel Conclusio vel Præmissa aliqua certo tantum sensu vera est, certo falsa.

Quæ est *Solutio Obliqua?*

EST quæ oblatam fallaciam non nisi per obliquum & mediatê tantùm attingit. Estq; vel *Realis*, vt *Inversio* & *Instantia*, vel *Personalis*.

Quid est Solutio per *Inversionem?*

Est, cùm ostenditur argumentum adversarii aut esse à nobis, aut causam ipsiusmet adversarii jugulare. *Græci* βιαιον *vocant, id est violentum.*

Hoc solutionis genere Christum convicit mulier Cananæa. Matth. 15. Argumentum Christi: Es canis: Ergò indigna es pane dominico. Solutio per Inversionem. Imò ideo, quia *sum canis, debentur mihi micæ panis dominici, tamquam jura canum propria.*

Quotuplex est Solutio per *Instantiam?*

Duplex. *Prior* est in oppositione unius atq; alterius Exempli contrarii, ad ostendendum, præmissam aliquam aut nimis universaliter, aut nimis particulariter acceptam esse. *Vt*: *Nulli legati sunt violandi. Nunc ii missi ab Hannibale ad Philippum regem Macedoniæ fuerunt legati. Liv. l. 3. dec. 3. Ergò nuncii isti non fuerant violandi à Romanis. Solvitur per Instantiam Exempli contrarii Athenienſium qui intercepe-runt legatos Spartanorum missos ad Regem Persicum. Thucyd. l. 2. Ita ostenditur Propositionem non esse universaliter veram. Tantum enim illi legati non sunt violandi, qui perferunt mandata non nocitura Reip. per quam transeunt.*

Posterior modus solutionis per Instantiam est, quando argumento nobis objecto opponimus *vel* aliud argumentum æquê inconseqens & absurdum: *aut* æquê vel etiam magis ponderosum: *vel* auctoritatem ab adversatio non repudiandam. *Tale est falsum illud Ausonii.*

Emptis quòd libris tibi Bibliotheca referta est:
Doctum & Grammaticum te Philomuse putas.
Hoc genere & chordas & plectra & barbita conde.
Omnia mercatus cras Citharœdus eris.

Quid est Solutio Obliqua *Personalis?*

Est, quæ attingit oblatam fallaciam mediante personâ ipsius Opponentis. Talis est tum *Increpatio Opponentis* tum *Elevatio argumenti ab eodem allati.*

CAPUT OCTAVUM.

De Solutione Fallaciæ Ignorationis Elenchi & Plurium Interrogationum.

Quæ est *Divisio Fallaciarum in Species?*

Omnis Fallacia latet aut in ipsâ *Conclusione* Syllogismi: aut in ejus *Præmissis*.

Quotuplex est *Fallacia Conclusionis?*

Duplex: *Ignoratio Elenchi* & *Fallacia plurium Interrogationum*.

Quid est *Ignoratio Elenchi?*

IGNORATIO ELENCHI est fallacia, Conclusionem habens *aut* à statu præsentis controversiæ alienam: *aut* Thesi impugnandæ non verè contradicentem.

Quæ est *Solutio* Ignorationis Elenchi?

Si

Si Conclusio est *aliena*: Solutio fit per *Rejectionem* totius Syllogismi & *Retractionem* adversarii ad statum Controversiæ.

Si verò Conclusio *non verè contradicit Thesi impugnandæ*: Solutio fit per *Concessionem* Cõclusionis: *aut* simplicem, si sit simpliciter vera: *aut* minimùm limitatam, si sit ambigua. *Vt sit Thesis mea*: Ego sum homo. *Adversarius contra eam sic disputat.*

Quod ego sum tu non es.
Ego sum homo. | Ergò tu non es homo.

Solutio. Est Ignoratio Elenchi in Conclusione, quæ nõ vere contradicit meæ Thesi ob ambiguitatem prædicati; quod in meâ Thesi intelligitur de Specie sive naturâ humanâ in communi: at in Conclusione adversarii intelligitur & verum est de meo Individuo humano.

Quid est *Fallacia plurium Interrogationum?*

FALLACIA *plurium Interrogationum* est, cujus Conclusio ultra quæstionem controversam amplius quid concludit. *Græcè Fallacia πολυζητήσεως.*

Quæ est heic *ratio solvendi?*

Si

Elenchus Aristotelis in specie est syllogismus habens Cõclusionẽ datæ thesi contradicẽtem: Syllogismus igitur cuius Conclusio datæ Thesi nõ contradicit, peccare dicitur Ignoratione Elenchi.

Si ultra quæstionem controversam *expressis verbis* aliud quid Conclusioni legitimæ insuper assuitur, tunc opus est cautâ *Separatione quæstionum* & alienæ *quæstionis Rejectione. Exemplum.* Decreta Dei *sunt immutabilia. Electos salvari est decretum.* Dei. E. *electos salvari est immutabile, etsi maneant in peccatis contra conscientiam.*

Si verò Conclusio *ob ambiguitatem* aliud insuper concludit, quàm quæstio controversa requirebat: jam coincidit hæc Fallacia cum *Ignoratione Elenchi*, & eodem planè modo est solvenda.

CAPUT NONUM.

De Solutione Fallaciarum Formæ.

A Fallaciis Conclusionis transeamus ad fallacias Præmissarum, quæ sunt vel FORMÆ *vel* MATERIÆ *Syllogisticæ.*

Quid est *Fallacia Formæ?*

FALLACIA FORMÆ est, quæ ex præmissis simpliciter veris tamen falsum concludit, ob violationem legis alicuius de Dispositione Syllogisticâ libro tertio traditæ.

Quomodo *solvitur* hæc Fallacia?

Per *Negationem cõsequentiæ* ostensâ simul causâ negationis. *Quando forma bona est & vicium latet in solâ Materiâ: non dicendum est: Nego consequentiam &c.*

EXEMPLUM.

I. *Mala non sunt à* DEO.
In mundo multa fiunt mala.
Ergò mundus non est à DEO.

Solutio. Nego *consequentiam, quia plus est in Conclusione quam in præmissis. Tantum enim hoc concludi debuerat: Ergò in mundo multa fiunt, quæ non sunt à* DEO.

II. *Vulpes est animal quadrupes.*
Herodes est vulpes.
E. Herodes est animal quadrupes.

Solutio. Nego *consequentiam, quia sunt quatuor termini ob ambiguitatem medii, qui in Propositione capitur propriè, in Assumptione Metaphoricè.*

III. Si

III. *Si Simia est homo, est animal.*
Sed Simia est animal.
E. Simia est homo.

Solutio. Nego consequentiam *quia in secundo Modo Syllogismorum conditionalium procedituur contra legem à positione consequentis ad positionem antecedentis.*

CAPUT DECIMUM.

De Solutione Fallaciæ Æquivocationis.

Fallacia Formæ fiunt: sequuntur Fallaciæ Materiæ.

Quid est *Fallacia Materiæ?*

EST, quæ in ipsis verbis aut rebus Præmissarum syllogisticarum delitescit. Sunt igitur aliæ Fallaciæ *in Dictione*, aliæ *extra dictionem*.

Quot sunt *Fallaciæ in Dictione?*

Duæ tantum *Æquivocatio* & *Amphibolia. Reliquæ quatuor Fallaciæ Aristotelicæ, Compositio, Divisio, Accentus, Figura Dictionis, ad duas istas species planè recidunt.*

Quid

Quid est *Æquivocatio?*

ÆQVIVOCATIO est prior fallacia in Dictione, hærens in termino aliquo præmissarum voce ambiguâ expresso. *Omnis terminus ambiguus non amplius simplex, sed multiplex est. Hinc in omni Æquivocatione concurrit etiam Fallacia Formæ, quia fiunt plures termini tribus.*

Vnde est *vocum ambiguitas?*

Ambiguitas vocis est vel à *casu*, vel à *ratione Grammatica*, *Rhetoricâ* aut *Logicâ*.

Quomodo *solvenda est* Fallacia Æquivocationis?

Solutio Æquivocationis fit *Distinctione* ambiguæ vocis in sua significata, & *Demonstratione*, quòd aliter in unâ quàm in alterâ Syllogismi Propositione capiatur.

EXEMPLA.

I. *Qui habet brachium est corporeus.*
DEVS *habet brachium. E. est corporeus.*

Solutio.

Solutio. Est AEquivocatio in medio termino (brachium) quod in Propositione significat propriè certum membrum corporis humani: at in Assumptione significat Tropicè potentiam infinitam.

II. Nullum malum est à DEO.
Omne pomum est malum.
E. nullum pomum est à DEO.

Solutio. Est AEquivocatio in medio termino (malum) quæ vox in Propositione habet primam brevem significatq; idem, quod pugnans cum lege DEI: in Assumptione habet primam longam & significat fructum arboris.

Dicitur in specie Fallacia Accentûs.

III. Rex est Monosyllabum.
Alexander Magnus fuit Rex.
Ergò Alexander Magnus fuit Monosyllabum.

Solutio. Est AEquivocatio in medio termino (Rex,) qui in Propositione significat notionem secundam seu vocem significantem: In Assumptione notionem primam, seu rem voce significatam. *Fallacia Figuræ Dictionis in specie.*

IV. Iudas fuit damnatus.
Iudas fuit electus. E. quidam electi damnantur.

Solutio. Est Fallacia AEquivocationis in minore termino (electus) qui in Assumptione capitur pro ordinato ad officium Apostolicum: In conclusione pro ordinatis ad vitam æternam.

V. Per-

V. Perfectum est de quo nihil interiit.
De Scripturâ sacrâ multa interierunt.
E. Scriptura sacra non est perfecta.

Solutio. Fallacia est AEquivocationis in majore termino (perfectum) qui in Propositione accipitur de perfectione integritatis, quò ad omnes partes. In Conclusione de perfectione finis, qui est disciplina salutis æternæ.

CAPUT UNDECIMUM.

De Solutione *Fallaciæ Amphiboliæ?*

Quid est *Amphibolia?*

AMPHIBOLIA est altera Fallacia in dictione, hærens in totâ præmissâ ambiguis vocibus conceptâ, vel ob *Syntaxeos* aut *Phraseos* ambiguitatem: vel ob *compositionem* disjungendorum & *divisionem* componendorum.

Græci tales sententias vocant σφαλμα φορᾶς ζονλα.

Quæ *Solutio* adhibetur in Amphiboliâ?

Fit *Distinctione* diversorum sensuum quos parit præmissa ambigua, & *Ostensione* quo sensu illa concedi possit, quo sensu verò non.

EXEMPLA.

I. Cui prædixit oraculum: Aio te Romanos vincere posse, is vincet Romanos.
At Pyrrho prædixit Oraculum: Aio te AEacida Romanos vincere posse.
E. Pyrrhus vincet Romanos.

Fallacia est Amphiboliæ in Assumptione, quæ recitat sententiam Oraculi ambiguâ Syntaxi constantem. Non tantum enim pro Pyrrho sed etiam contra Pyrrhum intelligi potest, sic: AEacida, aio Romanos vincere posse te: & hunc intellectum Oraculi verum fuisse, ipse eventus Pyrrhum docuit.

II. Dimidium est plus toto, secundum Hesiodum.
Octodecim grossi sunt dimidium taleri.
E. octodecim grossi sunt plus integro talero.

Solutio. Fallacia est Amphiboliæ in Propositione, ambiguam Phrasin habente. Hesiodi enim sententia proverbialis est & Synecdochica significans, dimidium, id est opes parvulas bonâ conscientiâ partas, esse plus, id est, honestiores toto, id est, opibus duplo majoribus cum damno & expilatione proximi corrasis. Et hoc sensu verissima est Propositio. At si propriè sumatur, ut hoc loco, est simpliciter falsa.

III. Qui volens peccata permittit est auctor peccatorum.
DEVS volens peccata permittit.
Ergò DEVS est auctor peccatorum.

Solutio. Fallacia est Amphiboliæ in præmissis ambiguis ex compositione & divisione vitiosa. Propositio verâ est,

est, si accusativus (peccata) regatur à Participio (volens) sed hoc sensu Assumptio est falsa. Contra verò si Participium (volens) componatur cum verbo (permittit) tamquâ hujus determinatio: vera quidem est Assumptio: sed tum Propositio est falsa. Qui enim volens seu voluntariè permittit malum: non statim est auctor istius mali: nisi etiam velit & approbet malum, quâ est malum. Aliàs tantùm est permissor & ordinator mali ad bonum finem.

CAPUT DUODECIMUM.

De Solutione Petitionis principii & Fallaciæ à non causâ ut causâ.

Post Fallacias in Dictione sequuntur Fallaciæ extra Dictionẽ, quæ omnes hærent in ipso medio termino cum datâ quæstione dispositio, suntq; quatuor numero: Petitio principii: Fallacia à non causâ ut causâ: Fallacia Consequentis, & Fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter.

Quid est *Petitio principii?*

PETITIO PRINCIPII est fallacia meræ nullitatis medii termini. *Nullus autem est medius terminus, quando aut planè idem est cum alterutro termino quæstionis:* *Petitio principii, id est, usurpatio vel*

repetitio concluſionis loco probationis ejus ſive medii termini pro bantis. Principiũ enim idem eſt quod ipſa Concluſio probãda.

aut cum quæſtione diſpoſitus ſententiam efficit æquè dubiam ignotam & controverſam, atq; eſt ipſa quæſtio.

Quænam heic *Solutio* adhibenda?

Solutio fit *Negatione conſequentiæ* & *Oſtenſione* nullitatis medii: *vel* quia cum alterutro extremo quæſtionis re verâ idem ſit: *vel* quia ſententiam pariat æquè dubiam & incertam, atq; eſt ipſa propoſita quæſtio. *Et tunc quoq; adhiberi poteſt Inverſio.*

EXEMPLA.

I. Quicquid à DEO *in principio* eſt *creatum*, eſt *æternum.*
Mundus à DEO *in principio* eſt *creatus.*
E. *mundus* eſt *æternus.*

Solutio. Nego conſequentiam, quia eſt Petitio principii ob medium terminum, qui planè idem eſt cum ſubjecto quæſtionis. *Creatum eſſe* à DEO *in principio*, eſt Periphraſis mundi.

II. *Qui carent fide non ſunt baptizandi.*
Infantes carent fide.
Ergò *nulli infantes ſunt baptizandi.*

Solutio.

Solutio. Nego Conſequentiam quia eſt Petitio principii in medio termino (carere fide) qui junctus ſubjecto quæſtionis (infantes) efficit ſententiam æquè dubiam, atq; eſt ipſa Concluſio. AEquè dubium eſt: An Infantes careant fide, atq;, An Infantes ſint baptizandi.

Quid eſt *Fallacia à non cauſâ ut cauſâ?*

FALLACIA *à non cauſâ ut cauſâ* eſt fallacia falſi Medii pro vero. *Ariſtoteli Syllogiſmus Apateticus, deceptorius. Tam latè patet hæc fallacia quàm latè patent omnes Loci inventionis ſyllogiſticæ.* Vox enim cauſæ in appellatione hujus fallaciæ manifeſtam habet Synecdochen Speciei pro locis Dialecticis in genere.

Quæ eſt heic *Ratio Solutionis?*

Solutio fit per *Inficiationem* falſæ præmiſſæ ex falſo medio ortæ, perq; *Oppoſitionem* medii veri. Sæpe etiam *Inverſione* aut *Inſtantiâ* uti poſſumus.

EXEMPLA.

I. *Peccatum eſt à* DEO.
Ergò *homo injuſtè propterea damnatur.*

Solutio. Negatur Aſſumptio, in qua recitatur falſiſſima cauſa peccati: Vera enim ejus cauſa eſt Diabolus & levitas humana.

II. Qui antea novit nostram egestatem non est invocandus.
DEVS antea novit nostram egestatem.
E. DEVS non est invocandus.

Solutio. Nego Propositionem, in quâ recitatur falsus finis Invocationis, qui non est noticia & informatio DEI de statu nostro, sed nostra obedientia & humiliatio coram DEO.

III. Qui est patriâ Galilæus, non est verus Messias.
Iesus est patriâ Galilæus. Ioan. 7. 41.
Ergò Iesus non est verus Messias.

Solutio. Assumptio negatur, quia habet falsum Subjectum nati Iesu. Iesus natus est Bethlehemi in Iudæâ, non Nazarethi in Galilæâ.

IV. Nullus sensus deprehendit panem Cænæ esse corpus Christi.
Ergò panis cænæ non est corpus Christi.

Solutio. Neg. consequentiam quia sensuum testimonium de pane cænæ est falsum. Panis cænæ, quâ panis, sensibus quidem externis apprehenditur: sed quâ est corpus Christi, ut objectum, non sensuum externorum, sed fidei à Spiritu sancto per medium verbi promissionis in cordibus nostris excitatæ.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

De

De Solutione Fallaciæ Consequentis & à dicto secundum quid ad simpliciter.

Quid est *Fallacia Consequentis?*

FALLACIA CONSEQVENTIS est fallacia Medii peregrini & planè impertinentis, *etsi aliàs Medium illud possit esse per se verum. Frequens est hæc Fallacia in Syllog. Conditionalibus, quando Propositionis Hypotheticæ Consequens nullâ probabili ratione dependet ab Antecedente.*

Fallacia Consequentiæ nihil differt a Fallaciâ Formæ. Sed Fallaciâ Consequentis est, quâdo ipsi Termini materiales sunt inconsequentes, formâ alioquin existente bonâ.

Sæpe autem Propositio sic viciosa aut planè reticetur: aut ita inflectitur, ut videatur esse Categorica, cùm tamen re verâ sit Hypothetica.

Quæ est heic *ratio Solutionis?*

Solvitur partim *Inficiatione* consequentiæ Propositionis, (*quæ etiam, si omissa est, restitui, si inflexa, apertè explicari debet*) partim per *Instantiam*.

EXEMPLA.

Baculus stat in angulo.
E. Cæsar vincet Turcam.

Solutio. Fallacia est Consequentis in omissâ Propositione quæ talis esse debuerat: *Si baculus stat in angulo: Cæsar vincet Turcam.* Quis hoc videt ullam cohærentiâ Consequentis cum Antecedente?

II. Qui dives est etiam est doctus. Midas est dives. Ergò est etiam doctus. *Solutio.* Fallacia est consequētis in Propositione, quæ videtur esse Categorica, cùm tamen sit Hypothetica, habens medium verum quidem, sed tamen planè alienum à concludendâ quæstione præsente.

Quid est *Fallacia à dicto secundum quid?*

Est Fallacia Medii limitati seu restricti pro absoluto: *nempe quando ex Medio secundum quid tantùm ad utrumq; vel alterutrum extremum quæstionis affecto, concluditur ipsa quæstio tanquam simpliciter & absolutè vera.*

Quæ est hoc *Ratio Solutionis?*

Fit Solutio per *Distinctionem* Medii. Etiam *Instantiâ* hoc commodè uti possumus.

EXEMPLA.

I. Caro Adami est peccatrix.
Caro Christi est caro Adami.
E. caro Christi est caro peccatrix.

Solutio. Fallacia est à d. s. q. ad d. s. quia medius terminus (caro Adami) est limitatè et secundum quid tantum affectus ad utramq; partē quæstionis: Vnde utraq; quoq; præ-

præmissa est Limitata. Propositio vera est de carne Adami in statu corruptionis consideratâ. Assumptio autem vera est de carne Adami in statu integritatis acceptâ. Malè igitur ex præmissis restrictis concluso efficitur absoluta.

II. Corpus Domini pro nobis traditum est adorādū.
Panis Cænæ est corpus Domini pro nob. trad.
E. Panis cænæ est adorandus.

Solutio. Fallacia est à d. s. q. ad d. s. quia medius terminus (corpus domini) limitatè se habet ad subjectum quæstionis, & Assumptionem efficit limitatam. Hinc Propositio vera quidem est simpliciter per se & absolutè: Sed Assumptio vera est tantùm secundum quid, & limitatè. Panis enim cænæ non suâ naturâ, sed secundum quendam modum est corpus Domini, nempe secundum modum Sacramenti & conjunctæ κοινωνίας in pio legitimoq; usu.

III. Quod eveniet omni populo etiam est impiorum.
Gaudium de nato Messiâ eveniet omni populo
E. illud gaudium etiam est impiorum. (Luc. 2.

Solutio. Fallacia est a d. s. q. a. d. s. quia Med. term. est tantum subjectum limitatum gaudii de nato Messiâ percipiendi. Gaudium istud erit omni populo, nempe credentium, & Messiam amplectentium. Vnde dicitur idem Messias salvaturus esse populum SVVM a peccatis suis.

REGULÆ.

I. Fallacia Accidentis vulgò dicta non est peculiaris fallacia, sed tantùm modus aliquis Fallaciæ à dicto secundum quid.

II. Nul-

II. Nullus Syllogismus Sophisticus est, qui non pro diversâ consideratione ad diversas fallacias referri, variisq; modis dissolvi possit.

III. Vniuersale compendium Solutionis quarumcunq; objectionum fallaciũ est sola Distinctio sive Limitatio præmissarum.

CAPUT DECIMUM QVARTUM.

De Methodo Naturali in genere.

Tota doctrina syllogismi explicata est, restant præcepta Methodi.

Quid est *Methodus?*

METHODVS est altera species Discursûs Logici, quâ distinctæ partes unius alicuius Tractatûs congruo ordine digeruntur, ad faciliorem omnium cognitionem. *Aliàs Ordo.*

Quotuplex est Methodus?

Duplex, *Naturalis* & *Cryptica. Methodus Naturalis* est, quâ omnes & singulæ partes unius alicuius Tractatûs sic digeruntur; ut semper ab Vniversalibus ad Particularia, a Generalibus ad Singularia, à Communibus ad Propria, à Simplicibus ad Composita procedatur. *Aliàs Methodus Perfecta, Artificialis, Didascalica.*

REGVLAE.

I. Methodus Naturalis respectu constantissimi & perpetui huius processûs tantùm unica est, non plures. Hanc unitatem Methodi nihil turbat Diuisio eius, quòd ad fines in Syntheticam & Analyticam: item, quoad Objecta in Vniversalem & Particularẽ &c. Nam in omnibus illis nihilominus unicus hic processus strictissimè observatur.

II. Partes Methodo Naturali disponendæ & distinctæ variæq; sint: & ab uno principio fluant, ad unumq; finem pariter contendant.

III. Nulla pars Homogenea omitti, nihil superfluum ac redundans admisceri debet.

IV. Absolutâ unâqualibet parte præcedente sequentia semper aptis & concinnis Transitionum vinculis illi sunt connectenda, ut ratio Methodi tantò sit illustrior.

Quod centrum est Circulo: hoc Methodus est disciplinis.

CAPUT DECIMUM QVINTUM.

De Methodo Syntheticâ & Analyticâ.

Metho-

Methodus Naturalis quo ad formam unica ratione finium est Synthetica & Analytica.

Quid est *Methodus Synthetica?*

Synthesis & Analysis alias sunt duæ species usus omnium artium organicar. Hic vero ordo qui in utroque illo usu observari solet, Methodus Synthetica & Analytica appellatur.

EST, quâ tractatum quemcunq; constituimus, optimo ordine digerentes ea omnia, quæ proposito tractatui sunt homogenea & essentialia.

Estq; vel *Universalis* integrarum Disciplinarum aut Exotericorum operum justorum, vel *Particularis.*

Quid est *Methodus Integrarum disciplinarũ?*

Est, quæ res unicuiq; disciplinæ homogeneas perpetuis *definitionibus, distributionibus* & *proprietatum Regulis* tali ordine pertractat, ut à re omnium *generalissimâ* per *subalternas* ad omniũ *specialissimas* progressa in his tandem subsistat. *Disciplinæ hac Methodo explicanda sunt vel* Theoreticæ *vel* Practicæ.

Delinea Methodum *disciplinarum Theoreticarum?*

Methodus disciplinarum Theoret. in specie dici solet vulgò, Synthetica.

In disciplinis Theoreticis *Methodus exorsa à* Subjecto *doctrinæ adæquato,* affectiones *eius è suis* principiis *sive* causis *demonstrat: mox ad* species Subjecti *progrediendo singulas eodem modo usq; ad omniũ infimam pertractat.* Talis est Methodus Physicæ, Arithmeticæ, Geometriæ, Astronomiæ, Metaphysicæ &c.

Delinea Methodum *disciplinarum Practicarum?*

Methodus disciplinarum Pract. vulgo in specie dici solet Analytica.

In disciplinis Practicis *Methodus exorsa à* fine *Disciplinæ adæquato, mox in quod* Subjectum, *per quæ* principia *sive* media *finis ille introducendus sit, explanat.* Talis Methodus observatur in Ethicâ, Oeconomicâ, Politicâ, Theologiâ, Iurisprudentiâ, Medicinâ. Item in artibus Organicis, Grammaticâ, Logicâ, Rhetoricâ.

Interim respectu huius vel illius certæ partis nihilominus etiam heic observatur Methodus Theoreticarum Disciplinarum propria, à Genere scilicet ad Speciem, sive à Simplicibus ad Composita, vel à principiis ad principiata. Exemplum talis Methodi non planè, ut speramus, inconcinnum Iunioribus repræsentavimus in hoc ipso nostro Compendio Logico.

Quid est *Methodus Particularis?*

Est, quæ observatur in tractatione *certi* alicuius *Thematis Particularis* pluribus argumen-

gumētis institutâ sive *Simplicis* sive *Cōjuncti*.

Quæ est Methodus *Thematis Simplicis*?

Hæc *primo* agit de Voce thematis, *id est, quot habeat significationes, quid hoc loco significet, quæ sint eius Synonyma. Deinde* agit de re significata per *Definitionem eius. 2.* Per *Evolutionem definitionis*, ostendendo thematis propositi tum genus tum differentiam & affectiones communes ex eius Causis, Causatis, Subjectis, Dissentaneis, Comparatis, partibus &c. *3.* Per *divisionem in species.*

Quæ est Methodus *Thematis Conjuncti*?

Est, quæ observatur in Thematis alicuius controversi probatione aut refutatione, per argumenta tam Artificialia, quam Inartificialia. *Dicitur & Methodus Problematica.*

Eius partes sunt septem.

1. Constitutio Status controversiæ, & Theseos abs te defendendæ.

2. Examen utriusq; extremi tuæ Theseos, rectè sc. utrumq; definiendo, limitando, distinguendo & ab omni ambiguitate liberando.

3. Confirmatio Theseos per argumenta idonea & legitimo ordine disposita.

4. Propositio Theseos contrariæ adversarii cum recensione præcipuarum eius objectionum.

5. Præsuppositio certarum Hypothesium refutationi adversarii accomodatarum.

6. Solutio objectionum adversariarum.

7. Repetitio & Conclusio tuæ Theseos.

Quæ est *Methodus Analytica*?

METHODVS ANALYTICA est, quâ tractatum ab alio artifice constructum ordine debito reteximus, inq; sua capita perspicuê resolvimus, ad meliorem eius intelligentiam & memoriam.

Partes eius sunt.

1. Scopi & occasionis suscepti tractatûs demonstratio.

2. Thematis Principalis designatio.

3. Partitio eius, si sit multiplex.

4. Inductio argumentorum, quibus thema est explicatum, eorumq; si Crypsibus involuta fuerint, diligens explanatio.

5. Iudicium de Virtutibus aut vicijs in tractatu propositio fortè obviis.

Hoc genus Methodi nos excolere conamur in Archetypis nostris Analyticis in Virgilium, Homerum, Ciceronem, Horatium, Ovidium, Psalmos Davidicos &c.

CAPUT ULTIMUM.

De Methodo Cryptica.

Sic

Sic habet Methodus Naturalis restat
Cryptica.

Quid est *Methodus Cryptica?*

In nullo tamen Tractatu laudo dignâ Cryptis Methodi est perpetua, aut temeraria, cuius certa ratio reddi non possit.

METHODVS CRYPTICA est, quæ pro ratione temporum, locorum & personarum à Naturalis Methodi legibus nonnihil deflectit, ad Auditorem vel lectorem delectandum & permovendum *Aliàs Methodus Prudentiæ, Methodus Arbitraria.* Dominatur hæc in concionibus Ecclesiasticis, in Orationibus Panegyricis, Epistolis, Historiis & aliis Exotericis dissertationibus bonorum & ingeniosorum Auctorum.

Quot modis fieri potest ista *Cryptis?*

Tribus. Aut per *defectum* & *omissionem* partium Tractatui essentialium, *ut quando Propositio negotii principalis dissimulatur, item quãdo definitiones, distributiones, proprietatum Canones, Transitionum lumina omittuntur.*

Aut per *Redundantiam, ut fit in* Expolitionibus & Commorationibus, *item in* Exordiis Perorationibus, Amplificationibus

nibus & Digressionibus *Rhetorum*.

Aut per *Inversionem* ordinis & processûs naturalis Methodi, *ut quando pars aliqua specialior parti generaliori præponitur, item quando partes non eo ordine quo propositæ sunt pertractantur: aut quando in Narrationibus rerum gestarum a medio negociorum cursu incipiunt, præcedentia vero obliquè & quasi furtim intexunt, reliqua demum usque ad finem justo ordine continuant.*

Exempla talium Inversionum longè ingeniosissima exhibent Odysséa Homeri, AEneis Virgilii, Christias Hier. Vidæ, AEthiopica Heliodóri &c.

SUMMA SIT
O SUMMÆ IN SÆCULA LAUS
TRIADI!

ELENCHVS CAPITVM
LIBRI I.

C. I. De Logicæ definitione. p. 1.
II. De Partitione eius. 3.
III. De Termino Significante. 4.
IV. De Genere, Specie, Individuo. 7.
V. De Differentiâ, Proprio, Accidente. 12.
VI. De Regg. Anteprædicamentalibus. 15.
VII. De Prædicam. Substantiæ. 18.
IIX. De Prædicam. Quantitatis. 22.
IX. De Prædicam. Qualitatis. 25.
X. De Prædicam. Relationis. 31.
XI. De Prad. Actionis & Pass. 38.
XII. De postremis quatuor Prad. 42.
XIII. De Efficiente per se et per accidens. 46.
XIV. De Effic. Solitariâ & Sociâ. 51.
XV. De Materiâ, Formâ, Fine. 57.
XVI. De Causato. 60.
XVII. De Subjecto. 62.
XIIX. De Adjuncto. 65.
XIX. De Diversis. 69.
XX. De Contradicentibus. p. 71.
XXI. De Privantibus, Contrariis, Disparatis, Relatê-Oppositis. 73.
XXII. De Comparatis quoad Substantiã. 76
XXIII. De Comparatis Paribus et Imparibus. 78
XXIV. De Comparatis Similibus & Dissimilibus. 80.
XXV. De Conjugatis et Definitione nomin. 82
XXVI. De Toto & Partibus. 85.
XXVII. De Distributione. 89.
XXIIX. De Definitione. 92.

LIBRI II.

I. De Prop. Categor. Partibus. 98.
II. De Qualitate Prop. Categoricæ. 102.
III. De Quantitate Prop. Categ. 104.
IV. De Prop. Modali, primi generis. 106.
V. De Prop. Mod. secundi generis. 108.
VI. De Æquipollentiâ Propositionum. 111.
VII. De Conversione Propositionum 112.
IIX. De Oppositione Propositionum. 115.
IX. De Propositione Verâ et Falsâ, deque Normis Certitudinis 118.
X. De Propositione Necessariò aut Contingenter Verâ aut Falsâ. 120.
XI. De Propositione Regulari & Irregulari. 123.
XII. De Propositione Perspecuâ & Obscurâ. 127.
XIII. De Propositione Copulativâ & Conditionali. 129.

XIV.

XIV. De Propositione Discretivâ & Disjunctivâ. 132.

LIBRI III.

I. De Syllogismi definitione & tribus eius Terminis. 137.
II. De partibus Syllogismi Perfecti. 142.
III. De adfectionib. Syllogismi communibo. 143
IV. De Syllog. Primæ Figuræ. 146.
V. De Syllog. Secundæ Figuræ. 150.
VI. De Syllogismo Tertiæ Figuræ. 152.
VII. De Reductione Syllog. Secundæ & Tertiæ Figuræ ad Primam. 155.
IIX. De Syllogismo Cõposito Conditionali. 158.
IX. De Syllogismo Cõposito Disjunctivo. 161.
X. De Enthymemate, Inductione, Exẽplo. 163.
XI. De Syllogismo Redundãte et Inverso. 167.
XII. De Sorite. 168.
XIII. De Dilemmate. 171.
XIV. De Syllogismo per impossibile et ex Oppositis. 174.

LIBRI IV.

I. De Syllogismo Puro ac Misto: Reali ac Notionali. 178.
II. De Demonstratione potissimâ. 180.
III. De Demonstratione Secundariâ. 186.
IV. De Syllogismo Necessario Deictico. 187.
V. De Syllogismo Probabili sive Dialectico 191.
VI. De Loco Testimonii. 195.
VII. De Solutione Fallaciarum in genere 198.
IIX. De Solutione Ignorationis Elenchi, & Fallaciæ plur. interrogationum. 202.
IX. De Solutione Fallaciarum Formæ. 204.
X De Solut. Fallaciæ Æquivocationis. 206.
XI. De Sol. Fall. Amphiboliæ. 209.
XII. De Sol. Petitionis principii & Fallaciæ a non caussâ ut caussâ. 211.
XIII. De Sol. Fallac. Consequentis & a dicto cundum quid ad d. s. 215.
XIV. De Methodo Naturali in genere. 218.
XV. De Methodo Syntheticâ & Analyticâ. 219.
XVI. De Methodo Crypticâ. 223.

Gra-

Gravioribus Typorum vulneribus EMPLASTRVM.

Pag. 14 l. 4. ridere. 37 in Tabula superiore, Ordine partiũ ad totum. 75. l 6. teporis. ibid. l. 16. Species diversæ. 78. l 7. Cicero puer. 103. l. 8. Modalitas. 117. l. 3. Post hæc verba: Quidam homo non est animal, insere sequentia: Omnis homo est doctus. Quidam homo non est doctus. 147. l. 7. Principales. 162. lin penult. Aut gratis. 168. l. 5. præmisse. 184. lin. 7. a fine. risibilis. 185. l. 9. a fine Exempla ex efficiente. 188. l. 2 a fine. 10. Distributo. 198. l. 4. a fine. De his. 200. l 6. Inversionem. 211. l. marginali 3. a fine. Petitio principii.